# Dissertationum Germanicarum

## T. V.

## De actionibus et Judiciis

## P. VI.

# Elenchus Auctorum

I. Tiede | Davidis | De Foemina Procuratrice ad Litem. Halae Magdeburg. 1751.

II. Hirsch | Georgij Matthiae | De Iuramento judiciali contra Matrimonium non admittendo. Lipſiae. 1747.

III. Kieſling | Friderici Auguſti | De duobus Fratribus in eadem lite partium adverſarum Patrocinium ſuscipientibus. Vitembergae. 1743.

IV. Schroeeri | Georgij Friderici | Patrem ex facto Filij obligatum. Vitembergae. 1748.

V. Wach | Jo. Chriſtiani | De exceptione non numeratae Pecuniae. Lipſiae. 1675.

VI. Thomaſij | M. Gottlob. | De Documentorum originalibus etiam post Recognitionem ad certum tempus in judicio relinquendis. Lipſiae 1724.

VII. Struvij | Joan. Guilielmi | De Discrimine juriſiurandi affectionis in infinitum ac in immenſum. ad L. 4. §. 2. De in Lib. Iur. Vitembergae. 1737.

VIII. Lüedecke | Frider: Auguſti. | De jure circa Rem alienam Singulari. Vitembergae. 1742. —

IX. Dollſtein | Io. Bernardi | De juramento in Rem Autore L. 1. §. 3. ff. quar. rer. Act. non dat. — Halae e Magdeburg. 1740. —

X. Belleri | Frider. Georgij. | De recuſatione juramenti judicialis. Giſſae. 1746. —

Digitized by Google

Digitized by Google

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE

# FEMINA PROCVRATRICE AD LITEM

QVAM

IN REGIA FRIDERICIANA

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANNE TOBIA CARRACH ICto

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS

DIE XVI. FEBRVAR. CIↃ IↃ CCLI.

H. L. Q. C.

PVBLICE VENTILANDAM

EXHIBET

DAVIDES TIEDE

NEO-MARCHICVS.

---

HALAE MAGDEBVRGICAE

AERE IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

(7½)

Biblioteca Nazionale Napoli

Conte di Camaldoli



A SON EXCELLENCE
MONSEIGNEUR
# LOUIS GUILLAUME
COMTE
DE
# MUNCHOW
MINISTRE PRIVE D'ETAT ET DE GUERRE DU ROI,

MINISTRE DIRIGENT EN SILESIE, CHEVALIER DE L'ORDRE DE L'AIGLE NOIRE, CHEF PRESIDENT DES CHAMBRES DE GUERRE ET DE DOMAINES DE BRESLAU ET DE GLOGAU, SENECHAL DE STOLPE, CHEVALIER DE L'ORDRE DE S. JEAN ET COMMANDEUR DE SCHIEVELBEIN ET DE LAGOW, SEIGNEUR DE WOLLIN, COSE, COSEMUHL, ROGITTKE, MICROW, WODNOGGE, ET GROSSENDORF.

## MONSEIGNEUR

*Je prens la hardieſſe de VOUS preſenter un eſſai, dont je n'aurois droit de m'attendre quelque ſuccés que ſous les auſpices du Nom glorieux de VOTRE EXCELLENCE. L'applaudiſſement de tout le monde ſavant ne fait pas tant le but de mes ſouhaits que l'approbation d'un ſi grand Miniſtre, qui par ſes qualités brillantes eſt au deſſus de tout éloge. L'union de plus hau-*

*hautes perfections, qui réſident en la Perſonne de* VOTRE EXCELLENCE, LUI *ſoumet les eſprits de tous. Mais quel champ aurois-je pour me ſatisfaire, ſi j'oſois faire rouler mon diſcours ſur ce ſujet; j'en laiſſe le ſoin à un écrivain plus habile que moi. J'ai l'honneur d'étre avec un reſpêt infini*

*MONSEIGNEUR*
*DE VOTRE EXCELLENCE*

à Halle
ce 14. Fevrier
1751.

le tres-humble et tres-obéiſſant
ſerviteur
**D. Tiede.**

Q. D. B. V.

## DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA
DE
# FEMINA PROCVRATRICE AD LITEM

§. I.

Varia reclamare et occentare aduerſarios ratione illis, qui aliorum in iudicio ſupplent vices, ſiue actoris, ſiue rei ſuſtineant perſonam, quotidiana docente perſpectum habemus experientia. Non enim inter eas tantum, quae in praeparatoria iudicii parte dilatoriarum loco proponuntur, exceptiones procuratorum notantur defectus: verum in quouis tractandae litis articulo quaeſtio de hoc ſubnaſcitur argumento. Nec eſt, quod caput iſtud tanquam acceſſorium et leuius negligendum ſit iudicantibus: vt horum potius exigat officium accuratam et ſollicitam eiusdem rite diſquiſiti definitionem. Non vna vero eademque Prooemium.

omnium, quae a procuratoribus vel intuitu eorum obmolienda ſunt, offendiculorum natura. Siquidem alia ideo obiiciuntur, quod mandato vel nullo vel mutilo et manco inſtructus eſſe aduertatur alieni iurgii curator, caeteroquin idoneus, quae ipſa obſtacula exceptionis legitimationis ad proceſſum nomine indigitari ſolent: vbi aliae ex aduerſo contradictiones ad id tendunt, vt monſtretur, minus aptam eſſe procuratoris perſonam ad ſubeundum illud munus. Huius poſtremi momenti cauſa ſpeciatim exceptionibus vtendum eſt procuratoriis, prout eas adpellat IMPERATOR *in §pho 11. Inſt. de Exceptionibus*, qui exempla earum ſimul ſuppeditat, dum ita fatur: *Praeterea etiam ex perſona ſunt dilatoriae exceptiones: quales ſunt procuratoriae: veluti ſi per militem, aut mulierem agere quis velit.* Duplicis profecto generis perſonas IVSTINIANVS hoc textu ab officio vicariorum in ventilandis cauſis controuerſis arcet, ſtipendia ſcilicet merentes et feminas: quamuis in exponendo mulierum excludendarum fundamento non aeque operoſe laboret ac in conſignandis cauſis, cur caſtra ſequentibus litem in ſe recipere non liceat mandatam. Quin haud obſtante generali de feminis ad procurandum non idoneis cautione ſpeciales deprehenduntur in iure IVSTINIANEO leges, quibus eaedem certa ratione ad officium illud admittendae iudicantur. Hinc altercationes de feminarum vicariis litigiis in foris frequentes eſſe deprehenduntur quam frequentiſſimae. Hae ipſae omnino magnam partem augentur ac difficiliores redduntur ex eo, quod partim pontificiae ſanctiones differentia quodammodo a iuribus LATII induxerint principia, partim patriae quum leges tum conſuetudines diuortium a Romanis hac in re ſuadeant faciendum. Sat igitur clare

patet,

patet, alicuius eſſe ponderis quaeſtionem de mulierum ad procuratorii muneris ſpartam ſuſcipiendam aptitudine ac dignam, quae ſingulari diſpiciatur attentione. Inaugarali eapropter hac commentatiuncula feminam procuratricem ad litem meditari apud me conſtitui, quod argumentum eum in modum exſequar, vt poſt generales de munere procuratorum poſitiones, quantum hae ad noſtrum proxime ſpectant finem, naturalium iurium praecepta ac legem ciuilium earumque diſcrepantium rationes exponam atque diſpoſitionem. **Thema.**

§. II.

Procurator eſt perſona negotia aliena mandato principalis, qui, ſi litem mandaret, ſecundum ius Romanum dominus eſſe debebat, adminiſtrans: Quum autem diuerſa longe ſint obiecta, quorum cauſa procurator conſtitui ſolet, non poſſunt non varia inde enaſci procuratorum genera. Alii nimirum in iudicialibus rebus, praecipue in iurgiis principalium vicibus funguntur, aliis contra extra iudicium negotia demandantur expedienda. Iterum vel ſingularis momenti attendendi cura iniungitur procuratori, vel ſeries plurium negotiorum ei incumbit, vel tota bonorum vniuerſitas ipſi obuenit dirigenda. Ad officia haec diſtincta Romani praeſertim reſpexerunt in ſecernendis procuratorum generibus, vti ex PAVLLO intelligimus, qui *Recept. Sentent. lib. I. cap. 3.* procuratores *vel ad litem, vel ad omnia negotia, vel ad partem negotii, vel ad res adminiſtrandas* conſtitui tradit. Hoc vero loco tres poſteriores procuratorum ſpecies mittimus, quum ſolam vicariorum litigatorum notitiam praeſens requirat inſtitutum. Ad litem itaque datus procurator eſt perſona negotia aliena

**Pars generalis.** **Definitio procuratoris.** **Diſtinctio procuratorum.** **Definitio procuratoris ad litem.**

Affinia procuratorum.

aliena iudicialia contentioſa mandato principalis, qui apudRomanos dominus eſſe debebat,adminiſtrans.Obuia ſunt antiquitatum Latinarum inueſtigatoribus plura officia in foro quondam nota et muneri procuratorum aliquantum affinia, re ipſa tamen ab eodem magnopere diſcrepantia; vti defenſorum, cognitorum, formulariorum, leguleiorum, pragmaticorum, monitorum, ſubmonitorum et miniſtratorum. Hi omnes in eo conueniebant, quod nullus eorum dominium litis nanciſceretur, quod in ſolum procuratorem transferebatur. Non vnicum tamen hoc eſt diſcrimen, quod procuratores inter et haſce perſonas intercedit, quorum ſingulae potius ab illis aeque ac inter ſe multifariam diſtant, ceu planum reddidit FRANC. POLLETVS *hiſtor. for. Rom. lib. II. cap. 2. p. 112. edit. Broidei.* Obtigit nihilo ſecius, vt, ſequiori praeſertim aeuo, procuratoris voce non hi ſolum omnes, verum quoque negotiorum geſtores aliique ad res gerendas vicario nomine intenti venerint ſecundum CORN. A BYNKERSHOEK *Obſerv. Lib I. cap. 2.* Minus adhuc apud nos tam anxie inueſtiganda erit horum officiorum diuerſitas, vbi ne termini quidem in vernacula ſuppetunt ei repraeſentandae commode inſeruientes. Quam ob cauſam nec materias has adeo ſollicite ſcrutari ſinit finis nobismet ſtatutus: quemadmodum neque diſquirendum iam iam eſt, quare GERARDVS NOODT *de pact. et transact. cap. 27.* a PAVLLO quatuor procuratorum genera docente diſſentiat, eaque ad binarium mittere ſatius ducat numerum.

Faciliori adhuc negotio veniam impetrandam eſſe ſpero omiſſae expoſitionis officiorum procuratoris Caeſarei, Procuratoris vice Praeſidum dati, et Procuratoris Fiſci Imperatorii: quum

voca-

vocabulum procuratoris in his omnibus, quae ad ius publicum ciuitatis Romanae pertinent, aliam ſortitum ſignificationem, quantumuis ex vltima origine rem repetentibus pateat, quemcunque verbi ſignificatum inde promanaſſe, quod procurator ſit is, qui vice alterius negotia curat ſeu expedit. De honoribus procuratorum, quos modo adduxi, vide, ſis, v. c. GODOFR. MASCOVIVM *de officio procurator. Caeſar.* et IOSEPH. BONNIVM *de officio fiſci Caeſar. procurator. et advocat.*

## §. III.

Diſcrimen procuratoris et aduocati.

Procurator in litem (§. *II.*) ſua natura, ſi a forenſi quoque Romanorum recedamus ſermocinandi ratione, diſtinctus eſt ab aduocato, qui patronus cauſae ſecundum formulam LATII audit, quippe qui in eo verſatur, vt iura ſuggerat partibus, neque ex principiis iuris Romani dominium litis nanciſcebatur. Hinc eſt, quod non ſtatim valeat argumentum ab altero horum munerum ad alterum, vtpote quae longe diuerſa poſtulant requiſita propter differentem vtriusque functionem. *Conf.* VVLTEIVM *commentar. ad Inſt. tit. de actionibus princ. n. 10 ſeqq.*

## §. IV.

Diſtinctio inter procuratores in rem alienam et in rem ſuam.

Monendi adhuc ſumus de procuratorum in litem diſtinctione quadam, dum alii in rem alienam, alii in rem ſuam tales fiunt. Hi vtique, qui in rem alienam fieri dicuntur, nihil aliud ſunt, quam procuratores in litem ſtricte dicti, quales accepimus §. *II.* Sed ii, qui in rem ſuam procuratores vocantur, ſunt perſonae litem alienam tanquam procuratores ſuſcipientes ita tamen, vt omnis litis euentus in ipſos redundet. Fundamentum huius diſtinctionis iuri Romano prorſus eſt

proprium, quoniam nititur eadem principiis de ſtricta formularum actionum interpretatione, ex qua fluebat, obligationes et praeprimis actiones oſſibus contrahentium cohaerere, et ex hoc axiomate vlterius inferendum erat Romanis, actiones directas illis tantum competere, quibus natae erant vel datae. Euidentiſſimum hinc eſt, omnes eos actores iuxta Romanorum iurium praecepta ad procuratores in rem propriam pertinuiſſe, in quos actio alii competens fuit translata. Interim non actores tantum eiusmodi procuratores fiunt, verum pari modo rei, quoties nempe ille, contra quem regreſſus patet reo, vices rei ſuppleat.

## §. V.

Pars ſpecialis.

Summatim conceptam hanc de procuratoribus doctrinam generalem excipit nunc ſpecialior eius, quod examinandum propoſuimus, capitis contemplatio. Opportunum erit, naturalium hac in re expendere legum praecepta, quibus perſpectis ciuilium iurium poſitiones rectius intelligendae erunt atque diiudicandae.

## §. VI.

Aptitudo feminarum naturalis ad negotia grauia.

Vix vllum ſane, qui humanam attento animo ſcrutatur indolem, latebit, a differentia vtriuſque ſexus diuerſa quaedam pendere iura. Etenim ipſe corporis habitus maribus alia, feminiſque iterum alia adſignat officia: itidemque multa deprehenduntur, quae feminis minus conueniunt ac maribus, praecipue ſi diuerſarum, quibus vtpote ipſiſmet propriis ſubſunt, viciſſitudinum ineamus rationem. Neutiquam vero exiſtimandum ideo erit, acſi tantum inter vtriuſque ſexus perſonas interiectum ſit interuallum, vt mulieres nullate-

latenus cenſeri debeant idoneae, quae vires animi poliant, negotiaque maturum poſtulantia et acre iudicium expediant, ideoque nec pares haberi poſſint curandis rebus litigioſis, ſed ſola in domeſticis tricis atque tuenda re familiari iis relicta ſit diligentiae gloria. Quae enim animorum, ingeniorum, indeque morum et ſtudiorum diſtantia in virilis ſexus hominibus conſpicitur, eandem feminis pariter deprehendimus communem: quam inaequalem animorum diſpoſitionem praecipuorum, quae in quouis homine taxandi ſunt, naeuorum fontem intelligimus et principium. Minime gentium ergo propria ac domeſtica quaſi eſt mulieribus leuitas animi, quippe quae et in maſculis non raro parem ac in illis promeret cenſuram: vti quoque hi lenitatem et ad indulgendum facilitatem, etiam intempeſtiuam, tam euidentibus probatam dant ſpeciminibus, quam feminae ſaeuitiae documenta edunt et atrociſſimae ſeueritatis. Iungo primo huic fundamento aliud ab educatione petendum argumentum. Scilicet inſtitutio tenellorum et iuuenilis mentis praeparatio permultum facit ad efformandos eorundem mores, quales dein ſeſe in iis, qui prouectioris aetatis ſunt, exſerunt. Certe ea aetatem puellarem imbuendi ratio, quae ſaepiſſime ſeruatur, in cauſa eſt, cur feminas minus nouerimus exercitatas in tractandis negotiis maiorem deſiderantibus rerum agendarum peritiam. Patet ex his, imbecillitatem ſexus feminei, quam Romani toties in legibus condendis ante oculos poſitam habuere, effectum iudicari oportere inſtructioni negligentiori conſentaneum. Quemadmodum vero mares, quos parentes inertiae et ſegnitiei a primis quaſi dicant aetatulis, tardiores, parum callidos, et ad exequendos difficiliores labores,

bores, tales primario, qui animi vires magis cultas ſupponunt, prorſus ineptos eſſe ſentimus: ita non mirum eſt, mulieribus ſimilem in modum mala inſtitutis diſciplina vecordiam et ruſticitatem ita inhaerere, vt inhumanae, ſine ſenſu, ſine ſapore videantur atque neglectae tanquam trunci et ſtipites. Facit vlterius ad infirmum reddendum iudicium conſortii decentis defectus indignorumque animorum et obtuſorum capitum ſodalitium, quo mentis acies hebeſcit. Prout nempe ingenia ad ſapientiam ferme caeca non nunquam emendantur, ſi familiari vtantur verſatorum hominum conſuetudine: ita e contrario illud mortalium genus, quod prudentum deſtituitur coniunctionibus et inſipida perpetuo nutrimento habet conſilia, non poteſt non verti in deterius, quanquam erectioris alioquin ſit indolis. Immo vix quisquam in eo aſſenſum mihi praebere detrectabit, quod ardua perplura non niſi frequenti exercitatione addiſcamus negotia, licet vel optimas et elegantiſſimas, ad quas ea componenda ſunt, calleamus regulas. Quumque exercitatio eiusmodi a feminis plerumque fruſtra exſpectetur in illis rebus, quae mares ſoli tractare conſueuerunt, harum ipſarum notitia ad feminas etiam non poterit peruenire; quippe qua ne mares quidem inſtructi ſunt in cauſis, quae vel eorum officium haud concernunt, aut quae alias non rite ſunt edocti. En igitur ſortem feminarum aequalem cum ſexus maſculini hominibus, intuitu maturi iudicii et ad indagandas res grauioris ponderis idonei. Eas omnes, quas breuiſſimis tantum notaui, doctrinas fortiori ſpecialium argumentorum praeſidio munirem et infinitis fere documentis e geſtorum theſauro arceſſendis firmarem, ſin vaſti talis adparatus incommoda metuerem, quo

ſcilicet

ſcilicet congeſto cancellos ſpeciminis huius transgrederer. Haud inutilem nihilominus me ſuſcepiſſe reor operam, ſi pro ſtabiliendis aſſertis meis monuerim, innatam aptitudinem vincere quandoque et ſuperare obſtacula minus ſufficientis culturae, quod illuſtri admodum exemplo FVLVIAE coniugis M. ANTONII tanquam claro argumento atque ſigno lucet, quae, quanquam matronae Romanae ab omni hominum conſortio et conſpectu remotae eſſent ac alienae ideoque meticuloſae, tamen adeo fortem ſeſe praeſtitit, vt exercitum ducens loca expugnarit munimentis circumdata. Sic vtique VELLEIVS PATERCVLVS *hiſtor. Roman. lib. II. cap. 74.* de ea facit ſermonem: *Ex altera parte vxor* ANTONII FVLVIA *nihil muliebre praeter corpus gerens, omnia armis tumultuque miſcebat. Haec belli ſedem Praeneſte ceperat.* Neque omittendum arbitror, feminas gubernacula ciuitatum ita felici ſaepe tenuiſſe ſucceſſu, vt labentes eas priſtinae reſtituerint ſplendori. Quin respublicas ſub moderamine feminarum cuncta ad ſuum nutum componentium, eximie profeciſſe et floruiſſe, ſequenti ex aduerſo marium regimine rurſus decreuiſſe, hiſtoriarum tantum ignorant expertes. Colligo ex hiſce, efformato a maiori ad minus ratiocinio, mulieres ſecundum naturam et rectae rationis dictamen, quod attenta nititur indolis humanae conſideratione, admitti poſſe ad extricanda iurgia et iudicialem prouinciam explicandam. Nec diffiteor, mihi quidem non liquere, cur iuxta naturalium iurium praeſcripta feminae ab iis rebus, quae legitimae ſcientiae notionem exigunt, ſint excludendae, ſi docili animo huius praecepta imbiberint diſciplinae. Promtum nimirum eſt atque propoſitum et ex multis, quae ex omni antiquitate et ſequiori

ori aeuo repetita inferre poſſem, ſimulacris firmamentum orationi meae adiungentibus, efficiendum, ſublimiorum quarumuis doctrinarum intelligentiam in feminas etiam cadere, et hanc non ſoliuagam quandam ac ieiunam cognitionem, verum certam atque radicatam ſcientiam. Quin ſi principia de ſagaci ingenio, educatione prudenti et conſortio vtili *hac* §*pho* indigitata ponderes atque contempleris, non diffitendum erit, muliebris ſexus perſonas, quantum quoque ad iuriſprudentiam ſpectat, ita proficere poſſe, vt maribus hebetioris intellectus, vel non adeo impenſa opera res obuias inueſtigantibus, praeripiant palmam, ideoque vel ex hoc capite in eas quadret illud veteris poetae ENNII apud CICERONEM *lib. I. de officiis* alia occaſione pronunciatum:

*Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem,*
*Illaque virgo viri.*

Non aduerſantur itaque naturalibus legibus procuratrices ad litem, vti nec eidem repugnant cauſidicae.

## §. VII.

Reſolutio dubiorum aduerſus aptitudinem feminarum naturalem ad procurandum.

Ecce autem e transuerſo ei, quam de feminarum ad expedienda negotia ardua aptitudine ſum amplexus, ſententiae communem plerarumque gentium moratarum concentum quaſi atque conſpirationem, quae ſcilicet in eo conuenerunt, quod mulieribus iis omnibus interdicendum ſit, quae imbecillum haud ferunt iudicium, illaeque, quibus diſtineri poſſint, occupationes ſolis familiarum curarum cancellis ſint circumſcribendae. Multo ſane ſtudio teſtimonia huc facientia congeſſit PETR. FABER *Semeſtr. lib. II. p. 194 ſqq. edit. Genev.* Nullus

tamen

tamen a me impetrare poſſum, qui in partes eius tranſeam. Siquidem illa omnia merum conſtituunt decorum politicum cuiuis genti, pro geniorum atque climatis diuerſitate et ex aliis cauſis maxime ſpecialibus, ex hiſtoria particulariſſima, qua ſaepe deſtituimur, eruendis, proprium. Sic effrena tam garrularum quam rixis deditarum feminarum licentia et nimius iuſtae libertatis abuſus occaſionem quandoque praebuit iis ipſis, quae naturalis ratio ſexui huic nec illicita nec indecora eſſe innuit, negandis: quod quisque eo facilius ſenſerit, quo magis mares idem crebro ſubire patet fatum. Mutari quoque decorum iſtud in eadem republica, nec quibuslibet ciuitatibus et legislatoribus aequalem idcirco ſtare mentem, ex ipſa FABRI narratione elucefcit, vbi LYCVRGI leges de Spartanarum mulierum veſtimentis, ludis, conſortio et vniuerſo vitae genere enarrat, qui inſipido ferme conſilio iuſto laxiorem feminis Lacedaemonienſibus ſtatuit diſciplinam ſecundum diſtinctam inſtituti huius Spartani deſcriptionem, quam debemus PLVTARCHO *in comparat.* LYCVRGI *et* NVMAE *p. 76. Opp. edit. Francoſ.* Multa in primis monenda eſſent circa eiusdem FABRI prolixum de feminarum teſtimonio ſermonem et hinc eliciendis aduerſus nos argumentis, vbi verba legum et ſcriptorum, quae in ſuas vocare partes feminarum iniuria nixus eſt, rectius explananda forent, aeque ac de cauſis impulſiuis et fine diſpoſitionum iſtarum diſſerendi locus eſſet, ſin metus adeſſet, productiora illa et immoderatius excurrentia poſſe iudicari, quum in arctiſſimum potius omnia ſint contrahenda, limitesque tractatiunculae me faciant breuiloquentem. Haud alia ſtat mihi ſententia de philoſophorum ex Iudaeis et ethnicis eccleſiaeque patrum anti-

quitatis et ſanctitatis cauſa veneratione digniſſimorum dicteriis, qui lanam et filum feminis magis congruere arbitrantur quam litteratorum inſignia, easque in culina non autem in foro verſari iubent, quo inter alios pertinent TERTVLLIANVS et CLEMENS ALEXANDRINVS, ſumma vtriuſque Eccleſiae Latinae atque Graecae decora. Etenim et hi ad palatum earum, inter quas degerunt, nationum optimo iure doctrinas ſuas, in quantum ad rerum diuinarum notionem vitamque Chriſtianam agendam proxime non faciunt, aptaſſe. Aſt Graecorum aeque ac Italorum quin et Africanorum, quibus normam morum bene componendorum ſuppeditabant patres, conſuetudines iam dudum exigebant eum, quem a piiſſimis doctoribus praefinitum animaduertimus, modum in expediendis a muliebri ſexu negotiis. In genere vero repeto dicta § *pho praeced.* de feminarum educatione et animorum muliebrium inſtitutione, quippe quae fundamentum continent ſanctionum in vetuſtis pluribus ciuitatibus, vti in Graecis et Romana, conditarum et hinc pendentis decori peculiaris, cuius contemplatio ad effata eidem reſpondentia et illud vindicantia philoſophos patresque commouit. *) Quid autem regeram Gallo ſaepius commemorato ex ea ratione occinenti, quod feminarum eruditarum in gerendis negotiis prudentia atque exactitudine ſingulari conſpicuarum et virilibus ingeniis appoſite aequiparandarum rariora ſint exempla, indeque particulare principium parum commode inſeruiat generalibus ex eo deriuandis regulis et poſitionibus indiſtincte conceptis illuſtrandis? Nullis edepol ad hoc oppoſitae opinionis munimentum expugnandum nouis arietibus indigeo, qui potius et hic iisdem, quae tum *praecedenti*

tum

tum *hac ipſa* §pho pugnae aptaui, vtar armis. Vnica huius defectus culpa redundat in viam, quam educantes et imbuentes puellaria ingenia ingrediuntur, et partim in eo poſitum eſt fundamentum feminearum virium ad eruditionem et prudentiam conſequendas haud ſufficientium, quod eruditorum fugere teneantur decentius commercium, eorum praeſertim, qui pares eſſent emendandis et politulis limitatulisque efficiendis illarum intellectibus. Id profecto inſigniter auget inſitam a natura foecunditatem et acumen ingenii atque iudicii firmitatem, ſi ab incunabilis ſapientum lactentur quaſi ac imbuantur doctrinis ſobriis puerilia pectora, quod in maribus etiam ad grauiora praeparandis et ab humili grege vulgi ſecernendis, licet non omne conficiat, tamen infimum haud meretur locum. Quemadmodum autem non omnes virilis ſexus homines SOLONIS, quae fertur, aſſequi perſpicimus ſapientiam aut ſtuporem admirantium propter eminentem, quae ipſos ornat, ſcientiam excitare: ita non poteſt non idem et feminarum intuitu obtinere, et inter has haud mirari debemus Dauo ſtupidiores. Extremum, quod obſtat, in hoc ſitum eſt, quod feminae, licet ſagaces et eruditae, non ſtatim aptae ſint ad iuris peritiam adquirendam et iudicialia momenta perficienda. Nullatenus autem hic vltimus ſcopulus remouentem impedit, quum nemini non liqueat, neque omnes mares, qui eruditionis laudem merito nacti ſunt ingenuam, idoneos eſſe ad iurium vel intelligentiam vel intellectorum concinnam adplicationem. Quin haud abſolute neceſſe eſt, vt procuratoris munere inſtructus legum calleat ſecreta, atque Themidis penetrarit adyta.

*) Iuxta haec ipſa fundamenta interpretatio dicti PAVLINI *1. Corinth. XIV. Turpe eſt feminis in eccleſia loqui* erit ſuſcipienda. Scilicet B. APOSTOLVS id, quod in Synagogis Iudaicis obtinebat moribusque Corinthiorum conueniebat, mulierum nempe nullas in docendo eſſe debere partes, tanquam inſtitutis Chriſtianorum, qualia ibi locorum ex genio populi vigebant, conſentaneum commendabat. Eo magis autem admonitione tali opus erat, quum dona extraordinaria praedictionis ac docendi, ſecundum *Acta Apoſtolorum*, et in feminis ſaepe deprehenderentur. Ne itaque hae, alias indoctae, obtentu talium donorum, quae falſo ſe tenere non nunquam credebant, turbarent eccleſiam, huiusmodi conſilium dedit VIR DIVINVS qui et alias hortatur, vt nemo audacter doctoris aggrediatur munus. Male ergo coeleſte hoc monitum ad cauſas in foro tractandas adplicatur.

## §. VIII.

Diſquiſitio quaeſtionis de feminis procuratricibus ex LL. poſitiuis.

Propoſita hactenus naturalis iuris atque communis norma circa feminas ad procurandi officium idoneas, haud difficulter diſcernendum erit, quid quantumue poſitiuae et propriae cuilibet ciuitati leges illi generali ſanae rationis dictamini hoc in capite addiderint vel detraxerint. Quum autem hi, qui mulieres alienarum diſceptationum forenſium curam ſubire poſſe plane inficiantur, Romanae prudentiae legalis principiorum fulcris potiſſimum nitantur, vix ac ne vix quidem officii mei ſategiſſe cenſendus eſſem, ſi accuratiorem cauſae praeſentis ſecundum conſtitutiones pariter ac tradita ciuilis iuris Latini conſiderationem atque inquiſitionem omiſerim diſtinctiorem.

inprimis ex iure Romano.

§. IX.

## §. IX.

Procurato-rum defectus ex iure Romano anti-quiſſimo.

Antiquiſſimum ſi reſpiciamus aeuum, otioſa eſt atque ſuperuacanea de feminis in foro Romano iurgia procurantibus diſceptatio, quum tempus iſtud plane ignoret vicarios in Republica Quiritium litigatores. Etenim ſtrictiſſimo inhaerebant Romani aucupio verbis Legum XII. Tab. iureiurando roboratis talemque in modum ea interpretabantur, vt quidquid in illis ſilentio erat praeteritum nec aliis peculiaribus ciuitatis ſuae legibus introductum, ſtatim pro illicito reputarent. Quum itaque ſequens eſſet ſanctiſſimarum harum tabularum, quales IAC. GOTHOFREDVS reſtituit, de in ius vocatione cautio: *Si in ius vocat,* ATQVE EAT. *Ni* IT, *anteſtamino. Igitur* EM *capito. Si caluitur, pedemue ſtruit, manum* ENDO *iacito. Si* MORBVS AEVITASVE, VITIVM *eſcit, qui in ius vocabit* IVMENTVM DATO. *Si nolet, arceram ne ſternito. Si en ſiet, qui* IN IVS VOCATVM VINDICIT, MITTITO. Inferebant ex his Quirites ſanioris explicationis ignari, reum praeſentem et eius ipſius perſonam requiri ad ſubeundum iudicium, qua de re vindex cauere tenebatur de reo ſiſtendo, non de inſtituenda per alium iudiciali diſputatione. Quin neque modus in ius vocandi hic praeſcriptus foro Romano vſitatus alium ſinebat cauſae ſuſceptorem, ac eum ipſum, qui conueniendus. Verum haec ad reum tantummodo quadrare exiſtimaueris forte, nec procuratoris dationem ex parte actoris excludere. Salua res eſt. Praeſto ſunt argumenta vtriuſque litigatoris conditioni aequaliter reſpondentia. Eaedem nempe decemuirales leges paulo poſt adducta verba ſic ſonant: *Ni ita paicunt,* IN COMITIO *aut* IN FORO *ab ortu ante meridiem*

*meridiem* CAVSAM CONIICITO, *cum* PERORANT AMBO PRAESENTES. *Poſt meridiem* PRAESENTI STLITEM ADDICITO. Liquet ex his, procuratores aeque parum potuiſſe admitti ac patronos cauſarum, vbi vterque diſceptantium ſuam proponere et exſequi debebat litigium. Ad haec formulae actionum, quae in albo Praetoris erant ſcriptae, omnes ac ſingulae ita erant conceptae, vt nemo, niſi actor ius in re vindicans vel obligationis implementum depoſcens illis vti, nec adverſus alium, quam qui ipſe obligabatur, aut ius reale negabat, eas potuerit mouere. Qua enim ratione dicendum fuiſſet actori: *aio* TE MIHI *dare oportere, aio* TE MIHI *debere C. ex ſtipulatu, aio* MIHI IVS ESSE *in* FVNDO TVO *etc.* niſi perſona obnoxia praeſens comparuerit coram tribunali? Quomodo praeſertim par fuiſſet aſſerendo fundo in lite vindiciarum, ſi fundum poſſidens abſens fuiſſet? Quo demum iure contra vindicandi poteſtas competiiſſet ei, qui alieno non ſuo nomine in foro aderat? Etenim poſita viſione hac poſteriori reus actori rem vindicanti regerebat: *imo* MEAM ESSE *aio.* Deficiente igitur genere procuratorum in actu hoc legitimo, nec ſpeciem eorum, ſcilicet feminas procuratrices, agnoſcebat iudicii Romani indoles.

## §. X.

Exceptiones a regula hac et introductio procuratornm.

Nonnullae tamen cauſae eius erant naturae, vt procuratorum exigerent conſtitutionem. Ita profecto iuxta *§phum 1. Inſt. de iis per quos agere poſſ.* pro populo vt acciperetur procurator, neceſſe iudicabatur, quoniam vniuerſam ciuium concionem in ius vel vocare, vel vocari debere, ordo non ſinebat legitimus. Liberalem vero cauſam per vicarium extricandam actorem eius,

qui

qui ad libertatem ex ſeruitute adſpirabat, qualitas poſtulabat: ſiquidem ſeruus perſonum ſtandi in iudicio non habebat. Alia quoque ratione ſeſe habebat formula actionis in iudicio de liberali cauſa, vbi dicebat is, qui actionem edebat: *Hunc hominem liberum eſſe aio.* Non tamen propria ſignificatione procuratoris adpellatione veniebat libertatis alienae defenſor, ſed aſſertor audiebat, quia aſſerere dicebatur in libertatem eum, qui in ſeruitutem depreſſus iniuſtam. Eleganter enim THERAPONTIGONVS apud PLAVTVM *in Curculione Act. V. ſcen. 2. verſ. 66. ſqq.*

*Ille, quia ita repromiſit mihi,*
*Si quisquam* HANC LIBERALI ASSERVISSET MANV,
*Sine controuerſia omne argentum ſoluere.*

Idem haud abſimili ſermonis formula vtitur *loc. cit. ſcen. 3. v. 30. ſeqq.*

*Promiſtin? ſi* LIBERALI *quisquam* HANC ADSERERET MANV
*Te omnc argentum redditurum*

Spectat et huc illud antiquiſſimi huius comici *in Poenulo:*

MANV EAS ASSERAT
*Suas populares* LIBERALI CAVSA.

Prout *in Adelphis* TERENTIVS ita fatur

*Neque vendundam cenſeo*
*Quae libera eſt, nam ego* ILLAM LIBERALI ASSERO CAVSA MANV.

Tutelare demum iudicium non reſpuiſſe procuratoriam operam ex *cit. §. 1. I. de iis per quos ag. poſſ.* euidens

eſt, ea procul dubio de cauſa, quod pupillo perſona ſtandi in iudicio haud eſſet. Demum Hoſtilia lege A. V. C. DLXXXIII. lata procuratoris vſus eatenus eſt comprobatus, *vt furti agere liceret eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reip. cauſae abeſſent quiue in eorum cuius tutela eſſent*, referente IVSTINIANO IMP. *l. c.* Subiungit autem IMPERATOR: *quia hoc non minimum incommodum habebat, quod alieno nomine, neque agere, neque excipere actionem licebat, coeperunt homines per procuratores agere.* Vſu ergo forenſi procuratoris apud Romanos inualuit officium, fruſtraque legalem de eo ſanctionem generalem quaeſiueris. Hoc vbi expeditum eſt, ſequitur feminarum ad aliorum lites tractandas aptitudinem aeſtimandam eſſe ſecundum temporis, quo procuratores in omnibus cauſis conſtitui coeperunt, mores.

## §. XI.

De excluſione feminarum Romanarum a procuratione generatim.

Negatur ſane feminis facultas procurandi poſt firmatum in rebus quibuscunque vicarii litigantis munus, idque communi fit plerorumque iuris peritorum ſuffragio, nec abſque legum auctoritate ita docere iidem ſibi videntur. In eo nihilo ſecius haereo, vtrum ſemper eodem modo cum feminis fuerit actum, et non inter omnes æque conſtare cenſuerim de rationibus ſtatuti eiusmodi iuris in ciuitate Romana. Quae enim quam frequentiſſime de procuratione tanquam ciuili officio adferunt, vix videntur ſufficere, vti nec rem confici reor argumento a poſtulandi facultate ademta petito, quippe quae duo officia diſtincta ſunt, neque iisdem peraeque nituntur fundamentis. Cauſam igitur, qualis eſt, ex genuinis eruam principiis, et haec ipſa ab origine reipublicae Romanae prima reuocabo.

§. XII.

## §. XII.

Libertas feminarum ſub Romulo et reſtrictio eiusdem ſub Numa.

Non leuia certe praecipua et eminentia competebant iura Romanis feminis moderante ROMVLO in ſolatium raptus, quo omnes mulieres Romanorum ex Sabinis erant adductae. Laxiſſima hac de re tunc diſciplina ſexus feminei, victus lautior, conſortia liberrima, agendarum rerum ſeueriorum et grauiorum potentia nullis circumſcripta limitibus. Haud ferebat muliebrem talem licentiam Italicum caelum, vbi prona ſunt ad laſciuiam ingenia. Hac procul dubio motus ratione NVMA POMPILIVS Romanorum Regum ſecundus reſtringendam arbitrabatur mitiſſimam feminarum conditionem a ROMVLO, quem Sabinorum arma metu perfuderant et ad quaeuis permittenda compulerant, indultam: neque conſentaneum futurum putabat Romanarum rerum formae, ſi LYCVRGI more penes mulieres domi omne ſtare imperium, publice vero eas de rebus maximis et dicere et ſuffragium ferre ſineret. NVMA quae ceperit conſilia et qualem ſtatuerit legalem normam, narrat PLVTARCHVS *in comparat.* LYCVRG *et* NVM *p.77.* ſequentibus, prout ex interpretatione Latina ſonant, vſus verbis. NVMA *autem matronis dignationem apud viros et honorem, quem, vt raptas placarent, indulſerant iis regnante* ROMVLO, *conſeruauit, caeterum magna verecundia ſepſit eas, curioſitatem detraxit, ſobrietatem docuit, ſilentium tenere aſſuefecit, vino prorſus interdixit, dicere ne de rebus quidem neceſſariis permiſit ſine viro.* Nullus his ex dictis elicerem, cauiſſe legislatorem, ne feminae ſuo vel alieno nomine in forum ſeſe committerent, qui id ſaltim cordi habuit, ne garrulo, qualis genti iſtius regionis familiaris eſt, ſermone ſtrepitum exci-

excitarent coram tribunali, eamque ob cauſam ſtatuit, vt virum, qui patroni ſeu cauſidici ſuſtineret perſonam, comitem haberent et conſultatorem ad ſuggerenda ipſismet iuris praecepta et litem legitime perorandam. Procuratricis tamen non obſtante hacce conſtitutione potuerunt ſubire ſpartam: quippe qua illis demandata ſtabat tamen firma adhuc regula generalis de neceſſitate viri aſſiſtentis, quantum ad negotii contentioſi deductionem atque publicas in foro recitandas declamationes pertinebat. Tanta autem religione iuſſis NVMAE vel in hocce capite obtemperabant feminae Latinae, vt PLVTARCHVS in proximis, quae allegata exſcipiunt, verbis haec tradat: *Quum femina aliquando cauſam in foro pro ſe ipſa dixiſſet, fama eſt, ſenatum Deos conſuluiſſe, ecquid hoc exemplum vrbi portenderet.* Miratos eſſe, hinc elucet, patres effrenam huius feminae licentiam, quae eo audaciae proceſſerat, vt leges a NVMA ex EGERIAE DEAE inſtinctu ſacroque conſilio propoſitas et hanc ob cauſam diuina ex opinione populi Romani munitas autoritate transgredi fuiſſet conata. Quid quod et hoc in caſu ſpeciali lubenter ſubſcriberem coniecturae V. C. CAROLI FERDIN. HOMMEL *in diſſ. de Apolline iuris perito*, qui oracula primis temporibus non de futuris euentibus conſulta fuiſſe, ſed reſpondiſſe de iure, acutis aſſeruit argumentis. Adierunt ergo me iudice ſenatores oraculum idolorum pro ferenda ſententia in cauſa propria, ſiue quae ipſam concernebat diuinae ſanctionis laeſionem, et impetrauerunt reſponſum, quid de ſingulari hoc ſtatuendum decernerent facto, num ſcilicet admittenda eſſet mulier iſta ad orandum ſuum in foro negotium. Neque his obſtat, quod PLVTARCHVS referat, ſenatum a Diis quaeſiuiſſe, quid hoc exemplum

vrbi

vrbi portenderet. Hic enim ſcriptor, cum de tota re, quantum ad conſultationem Deorum attinet, dubitantibus vtatur loquendi formulis, ſequioris aetatis reſpexit vſum, et ex hoc veterum diiudicauit geſta. Si haec omnia attente conſideres et expendas ſimul interpretandi, qualem Romani ſecuti ſunt, modum, dubio vacare pronunciaueris eam, quam *hac* §*pho* adſtruxi, ſententiam quod NVMA procuratricum nunquam ſuſtulerit, in forum deſcenſum.

## §. XIII.

*De effectibus legis a Numa datae generatim.*

Licet autem nullam de prohibitione mulieres a procurandi officio arcente proditam ſciamus NVMAE conſtitutionem, induxit tamen allegatum huius Regis mandatum principia de feminarum Romanarum moribus in poſterum componendis, vnde recentiori aeuo derivatae ſunt concluſiones ad ſingula negotia applicatae. Nimirum ex detracta curioſitate et ſilentio tenendo prouenit inſcitia rerum, quae hominem poſtulant in celebritate viuentem et verſurae gnarum, quod momentum, ſi hic notauerimus, variam praeſtabit vtilitatem in tractatione ſequenti, multumque faciet ad indagandam rationem negotiorum mulieribus prohibitorum ab aliis neglectam.

## §. XIV.

*De lege Numae exoleſcente propter cautionem Legum XII. Tabb.*

Verum non ſtatim effectus ſanctionis Pompilianae §*pho praeced* deſignati in republica Romana ſentiri coeperunt, ſed pedetentim magis magisque eruti ſunt et publice conſignati. Siquidem quantum ad obligatoria negotia pro aliis interceſſoria attinet, quorum ineundorum validitati intuitu mulierum eſt detractum,

 effica-

efficaciter ea diu poſt NVMAE tempora potuerunt celebrari, nec ante AVGVSTVM ſumma rerum potitum diſerta mutatio circa eadem obligit, quo nempe regnante SC. VELLEIANVM oppoſitum eſt femineae interceſſionis valori: iudicialium vero ſuſceptione cauſarum paullo recentiori adhuc aetate iis eſt interdictum. Etenim queruntur ICtorum nonnulli, ſalutarem iſtam NVMAE legem ſucceſſu temporis abiiſſe in deſuetudinem, adeo vt eiusdem per ius honorarium opus fuerit reſtitutione. Haerent interim circa exoleſcentis illius legis cauſam, quanquam haec parum difficilis videatur ad inueſtigandum: Diximus *§pho VIIII. de legibus XII. Tab.* praeſentes litigantium perſonas requirentibus aeque ac oralem propriae cauſae propoſitionem. Hoc vbi ſtabilitum erat, neque feminae alii ſuas demandare poterant vices, neque viro indigebant ipſiſcum ad tribunal accedente ſecundum NVMAE praeceptum, quippe qui ad forenſes illarum loco faciendas declamationes comitari tenebantur feminas contendentes. Vix mireris etiam defectum teſtimoniorum hiſtoricorum de feminis cauſas ſuas defendentibus, quum minus neceſſarium duxerint illi, proferre exempla rei quotidianae et quae iuxta legum tenorem ita debebat fieri: vti et alias frequenter obſeruamus, eorum, qui per leges ita agebantur, documenta non eſſe relata a geſtarum rerum compilatoribus. Poſtulandi contra et procurandi officia, quae tunc temporis plane incognita fuiſſe monuimus §. *X.* ideo neque in feminas cadebant.

Laudatores quidem, deprecatores, paracletos et aduocatos in foro cum partibus, praeſertim reis, cauſam peroraturis comparuiſſe animaduertimus: ſed nulli ex his abſentium ſuſtinuere perſonam, nullique cauſam pro praeſentibus dixere. Vide

FR.

FR. POLLET. *hiſtor. for. Rom. lib. II. cap. 1. p. 107 ſqq.* Inter hos omnes autem feminas non raro fuiſſe nemo inficias ibit, qui vniuerſas familias amicorumque concionem ad id coiuiſſe perpenderit. Maxime profecto illuſtre huius rei documentum ſubminiſtrat CAESAR *lib. II. de B. G.* qui de ORGENTORIGE multa narrat, *qui die conſtitutae cauſae dictionis ad iudicium omnem ſuam familiam ad hominum millia decem vndique coëgit et omnes clientes obaeratosque ſuos, quorum magnum numerum habebat, eodem conduxit, per eos ne cauſam diceret, ſe eripuit.*

## §. XV.

Rarior ſed aliquis tamen feminarum ad iudicia acceſſus poſt introductos procuratores.

Obtinente dein procuratorum in diſceptationibus forenſibus vſu coniiciendum potius quam certis et indubitatis argumentis aſſerendum eſt, feminas in gerendis rebus maioris momenti non multum exercitatas neque ſuas neque alienas lites frequenter expediiſſe, inprimis, cum formulae actionum diu ſolis patritiis eſſent cognitae, reliquus vero populus eas plane ignoraret. Interea praeſertim poſtquam fraudes patritiorum detectae et formulae cum vniuerſo populo communicatae, feminas iudicialibus cauſis et peragendis iurgiis ſeſe dedidiſſe, plus vno conſtat exemplo. Trigam caſuum extantiorum et ea, quae dixi, illuſtrantium proponit VALERIVS MAXIMVS *Dict. fact. memorab. lib VIII. cap 3.* Audiamus ipſius teſtimonium eiusmodi praeſtantiſſimum ferentis verba ſequenti ratione concepta. AMAESIA SENTIA REA CAVSSAM SVAM L. TITIO *praetore iudicium cogente, maximo populi concurſu egit:* PARTESQVE OMNES AC NVMEROS DEFENSIONIS *non ſolum diligenter, ſed etiam* FORTITER EXECVTA, PRIMA ACTIONE CVNCTIS PENE SENTENTIIS LIBERATA EST: *quam, quia ſub ſpecie fe-*

*minae*

*minae virilem animum gerebat, Androgynem appellabant.* Sane vel hoc vnicum ſufficeret, ad fulciendam meam ſententiam, quum SENTIAM legalibus praeſcriptis adverſatam non fuiſſe exinde ſatis intelligamus, quod praetoris nutu ad iudicium fuerit admiſſa, nec Ampliſſimus ordo diuinum idcirco poſtularit reſponſum, ceu maiorum conſilio ſub NVMA factum. Sed pergit ſcriptor. AFRANIA *vero,* inquit, LICINII BVCCIONIS *ſenatoris vxor* PROMTA AD LITES *contrahendas,* PRO SE *ſemper apud praetorem* VERBA FECIT: *non quod advocatis deficiebatur, ſed quod* IMPVDENTIA ABVNDABAT. *Itaque* INVSITATIS *fori* LATRATIBVS *aſſidue* TRIBVNALIA EXERCENDO, MVLIEBRIS CALVMNIAE NOTISSIMVM *euaſit* EXEMPLVM: *adeo vt pro crimine improbis feminarum moribus* AFRANIAE *nomen obiiciatur. Prorogauit autem ſpiritum ſuum ad* C. CAESAREM *iterum atque* P. SERVILIVM *Coſſ. Tale enim monſtrum magis quo tempore extinctum, quam quo ſit ortum, memoriae tradendum eſt.* HORTENSIA *vero,* Q. HORTENSII *filia, cum ordo matronarum graui tributo a Triumuiris eſſet oneratus, nec quisquam virorum patrocinium eis accommodare auderet,* CAVSSAM FEMINARVM APVD TRIVMVIROS ET CONSTANTER ET FELICITER EGIT. REPRAESENTATA ENIM PATRIS FACVNDIA, IMPETRAVIT, VT MAIOR PARS IMPERATAE PECVNIAE HIS REMITTERETVR. *Reuixit tum muliebri ſtirpe* Q. HORTENSIVS, *verbisque filiae aſpirauit: cuius ſi virilis ſexus poſteri vim ſequi voluiſſent, Hortenſianae eloquentiae tanta haereditas vna feminae actione abſciſſa non eſſet.* Caue autem, iudices cum VIRO quondam PERILLVST. DNO. a LVDEWIG *Differentiar. iur. Rom. et Germ. in SCto* VELLEI. *Part. I. p. 22.* tres haſce mulieres vnicas fuiſſe, quae litibus pertractan-

tractandis nauarunt operam: quum VALERIO MAXIMO mens potius fuerit deſcribendi feminarum aut in arte forenſi eximiarum aut in calumniis et protrahendis litigiis ſingulariter exercitatarum ſimulacra; quod inſtituto hiſtorici huius maxime conueniens eſſe animaduertimus, qui neque ignoramus, alias etiam eos, qui caeteros ciues reipublicae, cuius hiſtoria tradenda, vel promtitudine in cauſis dicendis, vel temerariorum litigiorum ſtudio vicerunt, in perſonarum memoratu dignarum referri indicem. Paucis tantum oſtendam, extare alia de feminis forum vrgentibus teſtimonia praeter haec a VALERIO dicta. VRGVLANIA enim ſecundum CORN. TACITVM *Annal Lib. II cap. 34. et Lib. IV cap 21.* in ius eſt vocata, cauſaeque ſuae ſub TIBERIO ſe geſſit actricem. IVVENALIS quoque feminas iudicia nimium frequentantes acerrime carpit: vnde coniiciendum, non inſolitum fuiſſe perſonis huius ſexus, iurgia tam propria quam aliena expedire. Sic ſcilicet ille *Satyra VI. Verſ. 241. ſqq.*

NVLLA FERE CAVSA EST, *in qua non* FEMINA LITEM
MOVERIT: ACCVSAT MANILIA, *ſi* REA *non* EST,
COMPONVNT IPSAE PER SE FORMANTQVE LIBELLOS,
PRINCIPIVM *atque* LOCOS CELSO DICTARE PARATAE.

Non itaque in cauſa prohibitae iure honorario procurationis femineae erit omnimoda iudicialium officiorum quocunque tempore iis facta negatio; ſed de fundamento ſolliciti eſſe debemus magis adaequato: quem-

admodum hanc ipſum a vicariis litigiis excluſionem impudentiae C. AFRANIAE originem debere mihi vix liquet quia mulier iſta non ſuſceptione contentionis alienæ neque comparitione coram tribunali, ſed iuſto vehementiori propriae litis expoſitione peccauit.

## §. XVI.

**Vera ratio prohibitae femineae procurationis ex intercessione vetita.**

Conſtat ergo nobis de veriori ratione, cur feminae ad procurandum iure Digeſtorum et Codicis non exiſtimentur idoneae. Quo rectius vero hanc aſſequamur, notanda erunt quaedam de feminarum Romanarum diſciplina. Supererant, vti ſupra dictum, reliquiae iuris a NVMA conſtituti, licet leges regiae pleraeque exoleuiſſent, et mutatio capitis de feminis litigantibus per leges decemuirales obtigiſſet. Nimirùm conſortia frequentia fugere tenebantur mulieres, et oeconomicae curae, pariter vti aliae, ſexus virilis hominibus incumbebant. Spectaculum tantum vt intuerentur, feminis permittebatur, *conf. citatam Diſſertat.* B. DNI. a LVDEWIG, quanquam et circa hoc deliciarum genus diuerſimode diſtincta fuerit mulierum licentia docente PETR. FABRO *ſemeſtr. lib. II. p. 169. ſqq.* Caeterum domi degebant, ſummamque in lana praeparanda ponebant laudem. Deduxit hoc et Romanarum feminarum ingenium eo ipſo a Perſicarum mulierum ſtudiis alienum monſtrauit PHIL. CAROLI. Monuit Q. CVRTIVS *de rebus Alex. M lib. V. cap. 2. Perſarum feminas non aliud magis in contumeliam accepiſſe, quam cogi admouere lanae manus.* Huic Arſacidarum mori opponit Scholiaſtes CVRTII iam iam nominatus in *Animaduerſ. Hiſtoric. Philolog. et Critic. ad* GELLIVM *et* CVRTIVM *p. 613.* labores matronarum Latinarum ſplendidiſſimarum. Firmat

mat doctrinas epitaphio CLAVDIAE nobilis feminae ita concepto:

*Hoſpes, quod dico, paululum eſt, aſta et pellege;*
*Hoc eſt ſepulcrum haud pulcrum pulcrae foeminae,*
*Nomen Parentes nominarunt Claudiam.*
*Suum maritum corde dilexit ſuo:*
*Gnatos duos creauit, horum alterum*
*In terra linquit, alium ſub terra locat.*
*Sermone lepido dum ac inceſſu commodo.*
DOMVM SERVAVIT, LANAM FECIT. *Dixi, abi.*

Curioſarum inprimis mulierum, et quae gerendarum rerum auidae, impatientes erant Romani, quorum mentem idcirco ſatis prodidit ille apud PLAVTVM *Mil. Glorioſ. Act III. ſcen. 1.*

*Nam mihi, Deum virtute dicam, propter diuitias meas*
*Licuit vxorem dotatam, genere ſummo, ducere:*
SED NOLO MIHI OBLATRATRICEM IN AEDES INTROMITTERE.

Fluebat ex eiusmodi vitae genere imperitia verſurae, idemque in culpa erat, cur non callidas immo ne prudentes quidem ſeſe exhiberent in peragendis rebus, quae notitiam exactiorem alienarum opum deſiderabant. Quum autem interceſſio pro alienis debitis ad praecipua ſpectaret negotia cognitionem iſtam ſupponentia, vrgere videbatur neceſſitas vt interceſſione omni mulieribus interdiceretur, ne aſtutis aliorum perſuaſionibus imprudentes ad obligationes eorum in ſe recipiendas adductae bonis fraudarentur. Quod quum ita fuerit ſtatutum SCto VELLEIANO non potuere non perſonae ſexus muliebris remoueri ſimul ab iis

omnibus, quae interceſſionem ſub ſe continent, et ex huius indole ſunt diiudicanda. Procuratoris autem officium ſecundum ius antiquum ſemper coniunctam habebat obligationem ad ſatisdandum ſiue in realibus, ſiue in perſonalibus iudiciis, probante IMPERATORE in *principio et §pho 1. Inſt. de ſatisdationibus.* Priori nempe loco veterum praeceptorum legalium cautionem indigitans ita diſſerit: *Procurator vero ſi in rem agebat, ſatisdare iubebatur, rem ratam dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur.* In *§pho 1. ibidem* ſermo eiusdem legislatoris hic eſt: *ſi vero in perſonam; ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quae diximus in actione, qua in rem agitur. Ab eius vero parte, cum quo agitur, ſiquidem alieno nomine aliquis interueniret, omnimodo ſatisdaret: quia nemo defenſor in aliena re ſine ſatisdatione eſſe creditur.* Quam facillime ex iis, quae hactenus tradita ſunt, ſenſeris, cur, nullis legibus antiquis ademta fuerit mulieribus pertractatio alienorum iurgiorum, illique demum ICti, quorum ſcripta Digeſtorum conſtituunt fontes a PRAETORIO tribunali repellendas eas eſſe doceant. Magiſtratuum enim edictis deriuanda ex legibus conſectaria saepius explanata et mentem publicarum conſtitutionum, quam aequa exſequebantur interpretatione Magiſtratus, erutam fuiſſe, hiſtoriae iuris particulariſſimae haud ignari vno fatentur ore. Id autem praeprimis euidens eſt intuitu feminarum vices alienas in litigiis ſupplentium, vbi perſpectum habemus, poſt VELLEIANVM demum ſenatusconſultum occurrere veſtigia prohibiti mulieribus muneris procuratorii. Ad vlteriorem huius quod indicaui momenti explanationem pertinet etiam vſus termini *interueniendi* et *interuentionis*, qualis eſt in *cit. §pho 1. Inſt de*

*ſatis-*

*ſatisdat.* nec non in *L. 2. D. de R. I.* et *L. 5. C. Th. de Cognitor. et Procurator.* Quamuis enim facili negotio in ſententiam IACOBI GOTHOFREDI eam, qui ad *L. 3. C. Th. de C. et P.* multum ſeſe perhibet in oſtendendo eo, quod allegatorum textuum auctores verba non fecerint de interceſſione pro debitis alienis, ſed quod vſi ſint termino *interuentionis* pro formula loquendi alias haud inſolita *praeſtitae operae cognitoriae.* Sed quid opus eſt ambagibus verborum ad ratiocinia exponenda comparatorum, cum clarum perſpiciamus legum tenorem. Nam VLPIANVS in *L. 53. D. de Procurator.* diſerte ſequentia tradit: *Non videtur defendere, niſi ſatisdare fuerit paratus.* Id ipſum quoque aſſertum de prohibita interceſſione, tanquam fundamento procurationis muliebris inualidae nouum fulcrum inde ſortitur, quod leges quandoque mentionem iniiciant virilis officii, quo procurantes funguntur, et hinc mulieres, vtpote quibus talia officia parum conueniunt, non aptas eſſe ad curam controuerſiarum forenſium, efficiant. Siquidem officiorum virilium nomine ea inſigniri in iure noſtro deprehendimus, quae maturum requirunt iudicium et vitam in celebritate agendam verſuraeque notitiam: quippe quae omnia neutiquam ferebat conditio feminarum Romanarum ſub initio *huius* §*phi* expoſita. Hoc profecto conſtat ex verbis SCti VELLEIANI relatis ab VLPIANO *in L. 2. §. 1. D. de SCt. Vellei. cum eas virilibus officiis fungi, et eius generis obligationibus obſtringi non ſit aequum.* Ciuilium enim officiorum conceptus, quem IACOB. GOTHOFREDVS *ad L. 2 D. de R. I.* enucleauit, quod fuerint actiones a ciuibus Romanis in conſpectu ciuium expediendae, vix tollit admiſſionem mulierum ad ea officia ſuſcipienda: quoniam

eadem ſemper fuerunt officia ciuilia, et inprimis obſeruamus ea aetate, qua feminae cauſas forenſes frequenter egerunt, poſtulandi munus officiis iſtis fuiſſe accenſitum. Idem ſane IVVENALIS, qui mulieres diſceptationibus iudicialibus ſeſe immiſcentes nec ab iis mandato iudicum remotas docuit, poſtulationem patronorum ita deſignat *Satyra VII. verſ. 106. ſq.*

> *Dic igitur, quid* CAVSIDICIS CIVILIA *praeſtent* OFFICIA, *et* MAGNO *comites* IN FASCE LIBELLI?

Falſiſſimum ergo ſimul iudico. a defectu iuris comparendi in comitiis argumentum valere ad officiorum ciuilium prohibitionem, cum feminae nullo aeuo perſona ſtandi in comitiis ſint gauiſae, diu tamen ciuilia officia ab iis peragi potuerint.

## §. XVII.

Expoſitio legum ſpecialium mulieres a procurandi munere excludentium.

Iactis §pho *praeced.* fundamentis ſuperſtruamus iam iam explicationem ſuccinctam textuum iuris ciuilis adverſus feminas procuratrices directorum. Ex Digeſtis ſuppetit *L. 54. de Procurator.* cuius hoc eſt principium: *Neque* FEMINA *neque miles, neque qui reipublicae cauſa abſuturus eſt, aut morbo perpetuo tenetur, aut magiſtratum initurus eſt, aut inuitus iudicium pati non poteſt,* IDONEVS PROCVRATOR *intelligitur.* Ratio excluſarum omnium harum perſonarum non redditur in lege, et nihilominus cuiuis earum peculiaria et propria obſtare impedimenta, ex aliis ſufficienter percipimus textibus. Ergo coniecturis ad analogiam iuris conceptis dari debet locus. Titulus legis oſtendit, eam deſumtam eſſe ex PAVLLO ad Edictum commentato, qui

edicti

edicti perpetui ſanctiones repraeſentauit. Verum huius edicti perpetui compilator SALVIVS IVLIANVS ſecutus eſt edicta praetorum, vt, exceptis paucis, quae hic illic de ſuo addidit aut detraxit, iis maxime congruat edicti perpetui tenor. Qua de re clare patet, eas rationes reſpexiſſe ICtum, quas ob oculos habuere poſitas magiſtratus in condendo iure honorario, et quas ſtitimus §pho *praecedenti.* Honorarii autem iuris praeſcripta, vti in pluribus aliis cauſis factum, et in hac materia a PAVLLO in *L. 1. D. de SCt. Velleian.* ſub *morum* adpellatione aliquantulum obſcura occultantur. Excipit aliud iuris ciuilis caput, quod interpretationi thematis noſtri inſeruit, ſcilicet *L 2 D. de Diuerſ Regul. Iur.* VLPIANI, ex cuius commentario ad SABINVM legem hanc petierunt architecti iuris, verba ſequentem in modum ſunt concepta: FOEMINAE AB OMNIBVS OFFICIIS CIVILIBVS, *vel* PVBLICIS REMOTAE *ſunt: et ideo nec iudices eſſe poſſunt, nec magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec* PRO ALIO INTERVENIRE. NEC PROCVRATORES EXISTERE. Notaui iam §pho *XVI.* IAC. GOTHOFREDVM rationem loquendi *ciuilium officiorum* explicaſſe per actus in conſpectu ciuium perficiendos. Poſſem prout ſupra, ne ibi nimis late diuagarer, factum, admittere expoſitionem illam multo ſtudio excogitatam et olei ſapore commendandam, nec metuendum inde eſſet ſententiae meae aliquid incommodi, cum eandem cum lege hac et verbis, quae de officiis ciuilibus in ea reperiuntur, optime congruere *cit.* §. *XVI.* euicerim. Verum praeſtat accuratiori ſubmittere VLPIANVM examini, quo magis adhuc perſpicua reddatur eius doctrina. Ciuile propria maxime ſignificatione id audit, quod in ſocietatis ciuilis, ſeu ciuitatis emolumen-

lumentum eſt comparatum et vtilitatem ſeruandamque ſtatus reipublicae integritatem, atque hinc ad ſingulorum quoque ciuium promouendam tendit ſalutem: qui vocabulorum *ciuilium* et *inciuilium rerum* ſenſus liquido apparet ex *L. 3. D. de Extraordinar. Cognit. L. 2 et 5. C. de furt.* Quia vero negotia iudicialia hunc vtilitatis publicae et communis finem conſequendum apprime reſpiciunt, recte ideo contigit, vt iudiciales labores, inprimis autem defenſio aliorum, ciuilium officiorum nacti ſint adpellationem, ceu conſtat ex pluribus antiquitate inſignibus documentis et IVVENALIS praeſertim effato, quod §*pho praeced.* recitauimus. Aptiſſima ſane ad id conficiendum cura BARN. BRISSONII *de Verb. Significat.* qui *ciuiles et forenſes artes* inuicem iungit, ex quibus omnibus expeditum eſt, officiorum ciuilium, quibus interdictum eſt mulieribus, diuerſiſſimam fuiſſe rationem, nec omnium cauſas ex iisdem diiudicandas principiis, quoniam negotia ſalutis communis ergo ſuſcepta variae ſunt indolis, ſimulque inferendum inde cenſeo, quod officiorum ciuilium terminus vagus ſit et indeterminatus. Ambiguae autem ſi deprehendantur in legibus voces, imperat norma interpretandi acceptionem earum in ſignificatu magis naturali proprio et famoſiori. Clara dein reddita verba logicae interpretationis viam ingreſſi ex rationibus finalibus explanare et has ex cauſis impulſiuis depromere debemus, quod a nobis factum iam eſt, monſtratis fundamentis honorarii in cauſa procuraticum iuris; vt ideo detracta ſit procuratoribus larua officiorum ciuilium, quae vulgo terret aduerſarios feminarum procuratricum. Sed haec de iure antiquo ex Digeſtis. Exſtant in vtroque Codice ſanctiones mulieres a procuratoriis operis abſtinere iubentes.

En

En tale enim reſcriptum THEODOSII ARCADII *et* HONORII AAA. *ad* RVFINVM Praefectum Praetorio Orientis in *Lege* 5. *C. Th. de Cognitor. et Procurator. Nullo pacto* FEMINAE *aut amplius, quam ſibi competit, agere, aut* PRO ALIIS *poſſunt* INTERVENIRE *perſonis.* Generalis eſt IMPERATORIA haecce conſtitutio omniaque complectitur nomine alieno ſuſcepta negotia iudicialia, in quibus interceſſionis occurrit ſpecies, qua de re interpretatione tali vti debemus, quae rationem habet principiorum de interceſſione. Abeſſe hanc legem e *Codice* IVSTINIANEO IAC. GOTHOFREDVS obſeruauit, ſed neſcio, an ſtringat ratio huius exilii ab eodem prolata, acſi eapropter deſit, quoniam certi quidam caſus obuii ſunt in Corpore Iuris, quibus indulta eſt mulieribus libertas procurandi: quum alios inueniamus textus in iſto Corpore, qui aeque vniuerſaliter concepti vti lex allegata *Codicis* THEODOSIANI. Solidius argumentum pro deducendo hoc defectu ex eo deriuandum arbitror, quod aliae leges in collectione IVSTINIANEA reperiantur eiusdem cum THEODOSIANA reſcriptione tenoris, et quidem tales, quae ab Anteceſſoribus THEODOSII M. ſunt conditae. Has ipſas autem *Codici* IVSTINIANEO inſertas leges in THEODOSII collectione haud occurrere non miror, quia earum altera *L.* 21. *C. de procurator.* de quaeſtione de procuratricibus proxime non ſtatuit, ſed incidenter tantum eius ibi fit mentio. Altera ex aduerſo *L.* 18. puta *Cod. eod.* DIOCLETIANI et MAXIMIANI CAESARVM ethnicorum imperio eſt confecta; nec ergo locum ſibi vindicat inter legitimorum, id eſt chriſtianis ſacris addictorum, principum conſtitutiones, quae in compilationem THEODOSIANAM ſunt relatae. Sic autem reſpondere DIO-

CLETIANVS et MAXIMIANVS AA. in *d. L. 18. C. de Procuratoribus* DIONYSIAE quaerenti, an filii ſui defenſionem in ſe recipere ſibi liceat: ALIENAM *in ſe* RECIPERE DEFENSIONEM, VIRILE *eſt* OFFICIVM *et* VLTRA SEXVM MVLIEBREM *eſſe conſtat. Filio itaque tuo, ſi pupillus eſt, tutorem pete.* Peculiares animaduerſiones ad legem modo huc transſcriptam vt ſubnectam, non exigit intellectus eius plenior, quippe quem ex iis, quæ de interuentione feminarum abundanter diximus, leuiſſima impenſa opera adſequimur. Vnicum, quod praeteruehendum haud exiſtimaui, eſt aequiuoca illa ancepsque vox *defenſionis*, qua IMPERATORES vſi ſunt: quae ſcilicet modo latiorem admittit ſignificationem, vt ſumatur pro omni cauſarum alienarum tractatione, ſiue poſtulando, ſiue procurando, ſiue alia ratione fiat, modo vero in ſenſu ſtrictiori accipitur, vt ſecundum Romanam dicendi rationem denotet adminiſtrationem litis alienae pro reo absque mandato ſuſceptam. Perinde tamen eſt, ſi accurate rem expendamus, vtrum priorem an poſteriorem verbi iſtius acceptionem CAESARIBVS vindicemus, ob generalia de procuratorum ſatisdatione iuxta ius vetus principia. Id ſaltim differentiae intercedit, quod poſito poſteriori ſignificatu ſecundum IVSTINIANI conſtitutionem de ſatisdatione procuratorum, quam in §. 5. *Inſt. de Satisdationibus* traditam habemus, legis praeſentis vſus adhuc ſit omnimodus. Nam *citata* §. 5. IMPERATOR ita ſanxit: *Si vero* REVS PRAESTO *ex quacunque cauſa* NON FVERIT, *et* ALIVS *velit* DEFENSIONEM EIVS SVBIRE, *nulla differentia inter actiones in rem vel perſonales introducenda,* POTEST *hoc facere: ita tamen, vt* SATISDATIONEM IVDICATVM SOLVI *pro litis aeſtimatione* PRAESTET.

NEMO

NEMO *enim ſecundum veterem regulam* (*vti iam dictum eſt*) ALIENAE REI SINE SATISDATIONE DEFENSOR *idoneus intelligitur.* Ex aduerſo procuratorum proprie ſic audientium obligationi ad ſatisdandum iure recentiori per *cit. tit. Inſt.* alius, ac iure veteri fuit, praefinitus eſt modus. Percipe verba legislatoris, quae ibidem enunciat, ſequentia: *§. 3. Sin autem* PER PROCVRATOREM LIS *vel* INFERTVR, *vel* SVSCIPITVR, *in* ACTORIS *quidem* PERSONA, *ſi* NON MANDATVM ACTIS INSINVATVM *eſt*, *vel* PRAESENS DOMINVS LITIS IN IVDICIO PROCVRATORIS SVI *perſonam* CONFIRMAVERIT, RATAM REM DOMINVM *habiturum* SATISDATIONEM PROCVRATOR *dare compellitur, eodem obſeruando, et ſi tutor, vel curator, vel aliae tales perſonae, quae alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibusdam per alium inferunt. §. 4. Si vero aliquis* CONVENITVR: *ſiquidem procuratorem dare paratus eſt: poteſt vel ipſe in iudicium venire et ſui procuratoris perſonam, per iudicatum ſolui ſatisdationem ſolemni ſtipulatione firmare, vel extra iudicium ſatisdationem exponere, per quam ipſe ſui procuratoris fideiuſſor exiſtat pro omnibus iudicatum ſolui ſatisdationis clauſulis, vbi de hypotheca ſuarum rerum conuenire compellitur: ſiue in iudicio promiſerit, ſiue extra iudicium cauerit: vt tam ipſe, quam haeredes eius obligentur. Alia inſuper cautela vel ſatisdatione propter perſonam ipſius exponenda, quod tempore ſententiae recitandae in iudicium veniet, vel ſi non venerit, omnia dabit fideiuſſor, quae in condemnatione continentur, niſi fuerit prouocatum.* Quodſi ergo *L. 18. C. de Procurat.* intelligatur de defenſore ſtricte dicto, plene, vti iamdum monui, erit adplicanda, et ad eos quoque caſus, vbi ratio illius in procuratoribus quibusuis adeſt, extendenda: ad reliquos

liquos autem, vbi non requiritur a IVSTINIANO ſatisdatio, feminae poterunt accipi procuratrices. Omnia haec ſecus haberent ſeſe, ſi *Legem 18.* de defenſione in latiori ſenſu locutam eſſe iudicemus, quia tunc diſerta eſſent verba legis mulierum operam iudiciariam vicariam indiſtincte reprobantia. Reſtat *L. 21. C. de Procurat.* qua IMPERATOR CONSTANTINVS A. ad conſilium prouinciae Africae ita loquitur: MARITVS *citra mandatum in rebus vxoris cum ſolenni ſatisdatione et alia obſeruatione interueniendi liberam habeat facultatem:* NE FEMINAE *perſequendae litis obtentu in* CONTVMELIAM MATRONALIS PVDORIS *irreuerenter irruant, et* CONVENTIBVS VIRORVM *vel* IVDICIIS INTERESSE COGANTVR. *Sin autem mandatum ſuſceperit, licet maritus ſit, id ſolum exſequi debet, quod procuratio emiſſa praeſcripſerit.* Vix cenſuerim procurandi officium in lege recitata alienum iudicari a mulieribus, quippe quae in id potius lata eſt, ne absque vrgente neceſſitate, aut ſi alia ratione aeque commoda res poſſit expediri, feminae adigantur ad ſiſtendas ſe praeſentes in iudiciis, quia decorum politicum Romanum non ferebat, eas vrgere conuentus publicos. Immo expreſſis verbis diſſerit legislator de propriis feminarum litibus, non de procurationibus illarum, quod ex initio CAESAREI oraculi patet, quo dicitur: *maritus - - in rebus vxoris.* Interim pronus ſum ad largiendum, quod ab aequalitatem rationis, diſpoſitio eadem aduerſus munus mulierum procuratorium poſſit valere, et vitanda matronalis pudoris contumelia credenda ſit cauſa concurrens in remouendis a procurando feminis: quanquam firmius et perpetuum magis fundamentum ſit exactio ſatisdationis a procuratore prae-

praeſtandae; qua de re huic poſteriori primae quoque debentur inter principia mulierum ſuadentia excluſionem, et ratio in *lege* prolata ad illuſtrandum potius quam ad probandum facit.

## §. XVIII.

Exceptiones a regula iuris Rom. de feminis a procurando excluſis.

Tantum de regula iuris Romani de feminis ad vicarium iurgium non idoneis: breuiſſimis nunc diſpiciamus exceptiones, quibus idem ius certis caſibus infirmat generalem iſtam normam. Facultas procuratoris munere fungendi vindicatur mulieribus per *L. 4. C. de Procurator.* ſi fiant procuratrices in rem propriam, dum libellum SATVRNINI ſupplicem ſubnotantes SEPTIMIVS SEVERVS *et* ANTONINVS CARACALLA AA. pro fundamento annuendi precibus eius, qui reſtitutionem contra iudiciale pronunciatum ex abſentiae capite petebat, haec ponunt: *Nec oberit tibi quod uxor tua interfuit iudicio aut etiam adquieuit ſententiae: cum* ALIENA NEGOTIA *per* MVLIERES *non* ALITER AGI POSSINT, *niſi* IN REM SVAM ET PROPRIVM LVCRVM *mandatae ſint eis actiones.* Ratio huius exceptionis in aprico eſt. In rem enim ſuam conſtitutus procurator hoc nomine impropria ſignificatione venit, quum in eum omnis redundet litis euentus (*§pho IV.*). Sequitur hinc eum non niſi ex ſpecifica, qua a procuratoribus in rem alienam diſtinguitur, differentia debere exiſtimari. Haec autem indigitat, quod effectu litigii in procuratorem huiusmodi redundante ea cuncta concidant, quae ſtatuta ſunt de reliquis procuratoribus intuitu ſententiae in aliorum praeiudicium olim ferendae: quo ſpeciatim pertinet ſatisdatio. Procuratore itaque in rem ſuam non obligato ad cautionem praeſtandam,

nihil impedit, quo minus feminae tali ratione forum adeant. Altera viſio, vbi feminis indulgetur procurandi poteſtas, eſt, ſi agitetur cauſa parentum controuerſa. Sicco tamen pede tranſeundum non videtur, quod non raro generalem nimis efforment de caſu iſto doctrinam, habito ſcilicet iuris Romani reſpectu: ſiquidem limitandam eam et circumſcribendam eſſe ſatis percipimus ex *L. 41. D. de Procurat.* vtpote quam pro confirmanda aſſertione ſua adpellant. PAVLLVS in illa omnino ita: FOEMINAS *pro* PARENTIBVS AGERE *interdum permittetur* CAVSA COGNITA *ſi forte* PARENTES MORBVS *aut* AETAS IMPEDIAT, *nec* QVEMQVAM *qui* AGAT HABEANT. Primo neceſſe iudicat ICtus, vt parentes non pares ſint ſibi Ipſis in foro defendendis, vel ibidem proponendae actioni ob grauiſſimum impedimentum, quale morbus et ſenectus efficiunt. Dein opus eſt, vt alieno deſtituantur auxilio, quippe quo ſuppetente parum conueniens eſſet, ſingulare quid admittere. Demum cognitio cauſae accedat, quum quo certius conſtet de iuſto impedimento defectuque defenſionis aliunde petendae, tum quo ex parentibus poſſit quaeri, an conſentiant in omnem litis exitum, et eius rei cauſa ſatis cautumque dare velint, ne indigeat pertractatio diſceptationis cautione a procurante muliere praeſtanda: quo facto collabitur fundamentum primarium prohibitionis, filiaque tuto procedere poteſt ad vices parentum ſupplendas. Quin deficit metus contumeliae pudoris matronalis, ſi ad hanc iam PAVLLI aeuo Romulidas reſpexiſſe nobis perſuadeamus, quotiescunque ſingulari magiſtratus auctoritate in forum ſeſe conferunt mulieres. Tertio permittitur proximis quibusuis cognatis ſexus muliebris litigare pro parentibus,

fratri-

fratribus vel cognatis de liberali cauſa, eoſque in ſeruitutem depreſſos vindicare propter *L. 3. §. 2. D. de liberal. cauſ.* Manifeſtis quidem verbis id ipſum lege non continetur, ſed facillime rectiſſimo mediante ratiocinio ex ea poterit elici. Poſtquam nempe in *L. 1. et 2. eod.* tributa eſt parentibus poteſtas aſſerendi liberali cauſa conſtitutos in ſeruitute liberos, quamuis ad libertatem haud adſpirent, itidemque facultate praediti ſunt liberi parentes inuitos conditione ſeruili eximendi, prorogataque eſt *Lege 3 pr. eod.* ad liberos naturales licentia parentes ſuos ſtatui libertatis reſtituendi, atque milites, qui procuratores alioquin conſtitui haud poſſunt (*§pho 1.*) paria intuitu perſonarum ipſis neceſſitudine ſanguinis iunctarum adepti ſunt iura, haec ipſa demum cum feminis habentur communicata, VLPIANO ſic loquente: *Cum vero talis* NEMO ALIVS *eſt, qui* PRO EO LITIGET, *tunc neceſſarium eſt,* DARI FACVLTATEM *etiam* MATRI, *vel* FILIABVS, *vel* SORORIBVS *eius caeteriſque* MVLIERIBVS, *quae de* COGNATIONE *ſunt, vel etiam* VXORI, ADIRE PRAETOREM, *et hoc indicare, vt* CAVSA COGNITA *et* INVITO *ei* SVCCVRRATVR. Plane ſpecialis hic eſt caſus, vbi mulieribus conceſſa pro aliis agendi facultas, quod perſpectum habemus ex eadem libertate militibus, qui alias ad ſubeunda litigia vicaria prorſus inepti ſunt, indulta, idque omne fauore libertatis eſt ſancitum. Iterum quoque in hac, vti in praecedenti, inſpectione mulieres in ſubſidium, vbi aliorum vindicantium non eſt copia, vocantur ad iurgium, cauſaeque ſollicitum requiritur examen ob easdem, quas antea extricatas ſtiti, rationes. Ceſſaſſe inſuper videtur mihi primarium argumentum, quod Romanos ad interdicendum mulieribus procuratione mouerat, ſatisda-

dationem puta. Quodſi enim inuiti cauſam agens vicerit, ille nolens etiam tenebatur ſtare ſententiae et redire in libertatem. Aſſertore contra cauſa cadente itidem fine iudicii contentus eſſe debebat, qui aſſerenti contradixerat: quapropter non video, de quo cauendum fuerit aſſertori, nec ergo ſtupeo mulierum ad officium illud acceſſum. Quae de femina neceſſitate ad procurandam aſſertionem inuiti adacta lex praecipit, merito tunc pariter obſeruanda eſſent, vbi iugo ſeruili oppreſſus in libertatem vindicari ſe cupit, immo a priori viſione argumentando progredi poſſemus ad poſteriorem: ſin forſan aliud ſuadere putanda ſit quaeſtio de exitu litis in caſu victi eius, qui aſſerit, cautioque ideo ſit exigenda a procurante iudicium ſtatus. Aſt cauſae cognitionem et ad hoc, ſi quod ſit, obſtaculum ſufficere cenſeo amoliendum.

## §. XIX.

Iuris canonici fundamenta de feminis procuratricibus.

Diſpoſitionem iuris Romani, quod ad ordinem cauſarum diſceptationibus forenſibus ventilandarum ſpectat, Iure canonico ſaepiſſime mutatam eſſe, nemo ignorat: ideoque noſtrum eſt, in quouis capite legitimi illius ordinis diſcutiendo expendere tale vtriuſque iuris diuortium. Nihil quidem in hac materia explicite tradunt iura Pontificia, a Romanis legibus diſcedens: attamen argumentatione aſſequi poſſumus mentem PAPARVM. Notiſſimum eſt *cap. 4. X. de Arbitris*, quo INNOCENTIVS III. comprobat electionem feminarum Gallicarum praecellentium in arbitras, ea vſus deciſionis cauſa, quod iurisdictione ordinaria in ſubditos ſuos feminae eiusmodi in Regno Gallico ſint inſtructae. Ita *vero* PONTIFEX reſcripſit, vt ad omnes femi-

feminas in Gallia tendat conſtitutionis ambitus. Generalem nempe adhibet loquendi formulam: *quia iuxta conſuetudinem approbatam, quae pro lege ſeruatur,* IN PARTIBVS GALLICANIS FOEMINAE PRAECELLENTES *in ſubditos ſuos* ORDINARIAM IVRISDICTIONEM HABERE *noſcuntur, mandamus qutenus etc.* Tam late patent quum verba tum ratio litterarum Papalium, vt non illae ſolum feminae, quae ipſae actu iurisdictionem exercent, ſed vniuerſus femineus ſexus in Gallia, vtpote non incapax adminiſtrandae iurisdictionis, arbitrii in ſe recipiendi gaudere pronuncietur poteſtate. Illae certo perſonae, quae iuris dicundi pollent auctoritate et quae extraordinariorum pactitiorumque iudicum ſubire valent munus, non poſſunt non officia iudicialia leuiora, quale eſt procuratorium, expedire. Et ſane quae de Gallicanis feminis in hoc obtinent momento, de Germanicis pari iure ſunt adſtruenda, quae aeque frequenter atque illae iurisdictionem vel praediis allodialibus cohaerentem, vel clientelae iure conceſſam, vel praefecturis, quas a Principibus tenent, adnexam poſſident. Diſpiciendum adhuc, quid ſentiendum de eiusdem INNOCENTII III. epiſtola decretali alia in *cap. 4. X. de Confirm. vtili vel inutili,* ex qua planam eſſe contendunt conceſſionem officii procuratorii Abbatiſſis pro monaſterii cauſis peragendis factam. Ipſa capitis huius verba indigitant ſatis, Abbatiſſam, cuius monaſterium tunc temporis contendebat cum EPISCOPO HILDESIENSI de immunitate et exemtione, a PAPA non fuiſſe datam primario ad iura coenobii defendenda, ſed procuratricem Sedis Romanae eſſe denominatam in lite iſta ſpeciali: quum demandarit illi PONTIFEX litigium vicarium ea de cauſa, quod priuilegiis curiae Romanae iſtud monaſterium independens ab omni alie-

no imperio ſacro iudicatum et ſubiectione immediata PONTIFICI parere iuſſum eſſet. Haec Sedis Apoſtolicae iura interuertere conato HILDESIENSI PRAESVLI iurgium erat mouendum ex parte Eccleſiae Romanae pro aſſerendo immediato huius in Abbatiam commemoratam dominio: prout euinci quoque poteſt ex neceſſitate probandae centenariae praeſcriptionis HILDESIENSI EPISCOPO iniuncta tanquam ei, qui rem proxime ſpectantem ad Eccleſiam Romanam in ſua deriuare nixus fuerat commoda. Inter alia enim tenor verborum capitis ad finem noſtrum ſpectantium hic eſſe perſpicitur: *Quia vero praefatum monaſterium* AD IVS *et proprietatem* APOSTOLICAE SEDIS *per priuilegia praedicta noſtra pertinere monſtratur*, NE IVS ECCLESIAE ROMANAE MANEAT INDEFENSVM, *eandem* ABBATISSAM PROCVRATRICEM IPSIVS *duximus ſtatuendam, vt, cum aduerſus* ROMANAE ECCLESIAE *poſſeſſiones et iura non niſi centenaria currat praeſcriptio*, *ipſa ſuper hoc et aliis* VICE NOSTRA PROCVRET, *quae coram te in iudicio fuerint procuranda.* Neſcio itaque, quomodo ex capite adducto pateat munus procuratorium Abbatiſſae in negotiis coenobii permiſſum. Etenim ex caſu iſto ſpeciali et peculiaribus, quae comitabantur eum, circumſtantiis generalis non poterit formari regula, licet alioquin argumentum recte conficiatur a maiori ad minus, ideoque a vicibus curiae Romanae in Abbatiſſam translatis ad ſuſtinendas coenobitarum perſonas. Id interea mihi haud difficulter deducendum videtur ex pontificiis litteris, quod non ſit omnimodus aptitudinis ad procurandum defectus in feminis: cui ſi iungas monita de *cap. 4 X. de Arbitris*, lubenter mihi ſuffragaberis feminas procuratrices menti iuris canonici haud contrariantes vindicanti, inprimis in Germanicis regionibus.

§. XX.

## §. XX.

Defectus principiorum Romanorum de feminis ad procurandum non idoneis in Germania.

Hactenus exteram Rempublicam de femina procuratrice ſtatuentem contemplati ſumus ſacraeque, qualem concio pontificiorum ſe gerit, ciuitatis diſcrepantem a prioris illius praeceptis tradidimus voluntatem. Patria nunc arbitrium in ſe recipiat, et principia ſtatui rerum Germanicarum magis accommodata doceat. Triplex obuenit momentum, ad quod in enucleandis iuris Germanici de capite hoc praeceptis erit attendendum. Sunt iſti tres articuli defectus principiorum iuris Romani circa praeſentem quaeſtionem monſtrandus, contrariorum principiorum iuxta iuriſprudentiam Germanicam obtinentium expoſitio, et obſtantium legum aut conſuetudinum antiquarum reſolutio aliorumque dubiorum diſcuſſio. Cuncta ea fundamenta, quae in procurando pro excludendis mulieribus Romani reſpexerunt, Germania noſtra ignorat. Tanta non eſt caeli noſtri corruptio, vt animos efficiat ad laſciuiam aeque inclinantes vti genium Italorum comparatum eſſe didicimus, indeque nunquam opus fuit NVMA frenis coërcente licentiam feminarum Teutonicarum quaſi alia ratione corrigi neſciarum. Propullulat hinc ſponte conſequens de mulieribus Germanicis a vita in celebritate agenda nullo aeuo excluſis, neque ergo verſurae ignaris. Inde vlterius inferendum, deſtitui merito Germanos legibus efficaciae femininearum interceſſionum detrahentibus, immo legi peregrinae, SCto VELLEIANO, obmouenda eſſe iuris domeſtici tradita indolemque mulierum Germanicarum aduerſari. Corruente autem cauſa, muliebri nimirum interceſſione effectu carente, optima haud incederemus via, ſi cauſatum ſiue concluſionem in vſum deducere niteremur: quemadmodum non ambigo fateri,

quod mihi deficere credatur ſanctio iuris romani de feminis non idoneis ad procurandum iis poſitis viſionibus, in quibus illud ius efficacia iubet eſſe ſuſcepta a feminis aliena debita, ob regulam interpretationis reſtrictiuae fundamento ponendam: deficiente ratione legis deficit ipſa lex. Numne tamen hac adoptata decidendi ratione repellendae forent feminae a cura iurgiorum alienorum in illis locis, vbi SCtum VELLEIANVM diſerte eſt receptum? Verum ne tunc quidem profligandas eas e foro arbitror, quia valet renunciatio iurata priuilegiorum, quae in gratiam mulierum largiebantur Latini. Immo in genere animaduertendum, quod vniverſa prohibitio, ſi SCtum VELLEIANVM ad Germaniam vel maxime quadrare cenſeamus, plerumque nihiloſecius ceſſare debeat, quia rariſſime exigitur ſatisdatio a diſceptatore forenſi vicario: vt igitur opus ſit ſaltim renunciatione ſacramento roboranda, quando praeſtandam decernunt leges vel iudices cautionem. Matronalis autem pudor, vti apud Romanos erat ſeruandus, ad politicum Italicum decorum pertinet, quia verecundiae muliebri comparitionem in iudicio contrariam eſſe naturalia neutiquam innuunt iura, neque ad iudicium accedentes feminae periculum ſubeunt illius laedendae.

## §. XXI.

Adſunt potius in Germania perplura principia Romanis directe oppoſita. Vixere ab antiquiſſimis temporibus feminæ Germanicæ in conſortiis ampliſſimis virorum et in celebritate, eædemque negotiis maxime arduis interfuere tractandis. Quum nempe TACITO *de morib. German.* teſte mares inter Germanos bellum vnice curarent, vel pacis tempore venationi ſeſe dederent, familiaris rei ſtudio feminæ ſolæ diſtinebantur.

Idem

Principia Germanica Romanis contraria.

Idem teſtatur CAESAR *de B. G. lib. VI: vita omnis in venationibus ac ſtudiis rei militaris conſiſtit,* quo ipſo quoque narrante *feminis, ſenibus, infirmis et inermibus cura domeſtica commiſſa,* prout notauit ANDR. ALTHAMERVS *Schol. ad* CORN. TACITVM *de Germanis apud* SCHARDIVM *Script. Rer. Germ. Tom. I. p. 14.* Agrorum etiam cultus a Germanicis feminis perficiebatur, quo ſuſcepto aſſuefiebant commerciis. Sed non hiſce tantum diſtrictas fuiſſe feminas Germanorum, perſpectum eſt ex eiusdem TACITI verbis de matrimoniis Teutonicæ gentis eiusque dotibus. Sic enim argumentum de connubiis barbaræ iſtius, qualem Germanicam cenſet, nationis exponit: *Dotem non vxor marito, ſed vxori maritus offert. Interſunt parentes et propinqui, ac munera probant. Munera non ad delicias mulierum quæſita, nec quibus noua nupta comatur, ſed frenatum equum et ſcutum cum framea gladioque. In hæc munera vxor accipitur, atque inuicem armorum aliquid viro offert, hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos coniugales Deos arbitrantur, ne ſe mulier extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, ipſis incipientis matrimonii auſpiciis admonetur, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prœlio paſſuram auſuramque: hoc iuncti boues, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Bello ergo vna cum maritis vxores Germanorum ſtabant: quo abunde euincitur, eas non incurioſas fuiſſe negotiorum publicorum. Scimus et aliud eiusdem TACITI *citat. lib.* effatum: *Memoriæ proditur, quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis reſtitutas, conſtantia precum et obiectu pectorum, et monſtrata cominus captiuitate, quam longe impatientius feminarum ſuarum nomine timent, adeo vt efficacius obligentur animi ciuitatum, quibus* INTER OBSIDES PVELLAE *quoque* NOBILES *imperantur. Ineſſe quin et*

*iam ſanctum aliquid et prouidum putant*, NEC *aut* CONSILIA EARVM *aſpernantur*, *aut* RESPONSA NEGLIGVNT. Quidni igitur admitti poterant feminæ iſtæ ad negotia iudicialia liteſque curandas, quarum ope et conſilio ſumma quæuis et grauiſſima in publicis rebus et gubernio ciuitatum peragebant mares. Illuſtrat hoc argumentum ſumma fortitudinis, ſagacitatis et induſtriæ laus, quam ſcriptores exteri antiquiſſimi ſuffragio feminis Germanicis tribuunt communi, exemplo PLVTARCHI *in vita* MARII, STRABONIS *Rer. Geograph. Lib. VII.* VALERII MAXIMI *Lib. V. cap. 1.* OROSII *Lib. VI cap. 20.* FLORI *Lib. IV. cap. 12.* conf. WILLICHII *Commentar. in Tacit. Germ. fol. 49. a.* Neque etiam iuxta hæc tantum pudicitiæ lædendæ metum Germanos ac Romanos tenuiſſe clarum eſt, vbi obſides datas intelligimus virgines, quod ex diuerſo gentis vtriusque genio ac luxuria Italorum Germanis incognita fluxit. Accedit aliud principium, vnde, tanquam prorſus contrario iuribus Latii, feminas in Germania idoneas ad procurandum exiſtimamus. Iurisdictionis immo et quarumcunque partium imperii ſummi capaces ſunt ſexus muliebris perſonæ inter Germanos. Antiquiſſimo iure Germanico qualitate hac feminæ iamiam eminuerunt, quod vel vnico VELLEDAE virginis *Bructeræ* illuſtrabo exemplo ampliſſimam adminiſtrantis ditionem, de qua TACITVS *Hiſtor. lib. XX. et XXI.* Eandem rebus ditionis ſuæ dirigendis cum laude functam canit STATIVS *Sylvar. lib. 1.* qui ſequentia præcipue pro commendanda illa adfert:

> *captiuæque preces* VELEDAE *cui* MAXIMA *nuper* GLORIA.

Parum profecto reſponderent ſibi inuicem principia, ſecundum quæ ſummam rerum penes feminas ſtare poſ-

ſe

ſe aſſereremus, eas tamen ineptas arbitraremur ad alienarum litium tractationem. Sortiuntur non minus mulieres iudicum delegatorum officium, vt vice Principum cognoſcant cauſas controuerſas, et inprimis totius S. IMPERII ROM. GERM. deſtinatione ſparta eiusmodi feminis illuſtribus quandoque demandatur: quæ omnia Romanis ſat occaſionis præbuiſſent Apollinem de portento interrogandi. Tandem feminæ ad munus procurandi ſubeundum ſæpe aptiores cenſuerim ac mares, in illis puta rebus, quæ peritiam iurium non requirunt: ſiquidem non ignoramus, plura reperiri capita muneris iſtius, quæ domeſticarum occupationum intelligentiam poſtulant, illaque feminis faciliora ſunt ad extricandum, ac maribus. Haud neceſſarium itaque duco, attendere ad exceptiones iuris Romani procuratrices nonnunquam admittentis, cum diuerſa ſit regula iuris Germanici et legum Romanarum.

## §. XXII.

**Reſolutio dubiorum.**

Extremum, quod ſcrutari me oportet, momentum redit ad ſcopulos doctrinæ de procuratricibus iure Germanico recipiendis obiectos paſſim et obmouendos, quos propoſitos amoliar. Deſunt primo exempla frequentia mulierum in Germania antiquitus lites alienas explicantium, quod lubenter et ego profiteor. Falluntur autem ii, qui ex hoc defectu argumentantur ad non vſum rei ipſius. Quis enim viliſſimas quasuis circumſtantias rerum forenſium memoriæ mandarit? Dein primarium, quod huic obſtaculo diſcutiendo ac-

*cap. 21. p. 30. edit.* THEODORICI BIGNONII *et Animadverſionibus* HIERONYMI BIGNONII *ad locum citatum.* Saxones itidem ac Sueui ſequiori adhuc æuo, quo vtrumque Speculum iuris eſt conditum, non ſinebant contentiones forenſes per alios ventilari quam litigatores principales, excepto caſu excuſandæ partis alicuius abſentiae, ad quam veniae impetrationem adhibebantur miſſi ſiue nuncii, *Bothen*, quorum tamen non alia erant requiſita quam nunciorum cuiuslibet rei, etiam extraiudicialis, peragendae gratia mandatum accipientium. Quae ex aduerſo in iure Saxonico prouinciali de ferendariis, *den Fürſprechen*, traduntur, monente B. DNO. HEINECCIO *Iur. Germ. p. 453.* intelligenda ſunt de aduocatis, non autem de procuratoribus: vt adeo fallatur CAROLVS DV FRESNE *in Gloſſar. med. et inf. Latinit. voce ferendarius*, vbi terminum hunc vertit per *procuratorem.* Ipſe tamen B. HEINECCIVS *miſſos ſ. nuncios Regios et Imperatorios atque Camerae Regiae* prouinciis praefectos, aut ſupremam ſub CAROLINGICORVM imperantium moderamine per comitatus exercentes iurisdictionem, procuratorum adpellatione inſigniens et ad horum ſpecies referens non ſatis accurato rem diſcreuit iudicio: quum perſonae tales magiſtratuum potius extraordinariorum conſtituant genus. Ad rationes procuratorum antiquitus haud frequentium pertinet quoque cauſarum litigioſarum deciſio extra forum per iudicia DEI, quae vocabantur, ſuſcepta, quam ſaepiſſime obtinuiſſe omnia geſtorum veterum docent commentaria. Immo durante haud raro lite vel partes adhuc ad iudicia eiusmodi, praeſertim ad duella, prouocabant, vel ipſe iudex tum probationis, tum deciſionis ipſius ergo, quando cauſa nimis dubia ambigebatur, imponebat neceſſitatem duello in cauſis etiam ciuilibus dimicandi. Quotiescunque vero ad certamen

ſeſe

ſeſe conferebant litigantes, iudiciali non amplius indigebant opera, adeoque nec procuratoria. Interim non eſt, quod ſilentio tranſeam, quod hoc ipſum de iudiciis duellicis momentum ſuppeditet rationem quandam firmandae meae de feminis Germanicis ad procurandum idoneis aſſertionis. Quamuis enim a neceſſitate ſuſcipiendi talis certaminis monaſtici homines, clerici, agroti, ſexaginariis maiores et feminae eatenus eſſent immunes, vt liceret ipſis vicarios mittere ad pugnam, quos campiones vocabant, vti DV FRESNE *Gloſſar. voc. Campiones, duellum et iudicium* DEI atque IOACH. IO. MADERVS *diſſ. de Duellis* obſeruarunt: factum nihilominus, vt aliquando feminae ipſae in ſingulare deſcenderent certamen, quod ex vetuſto codice bibliothecae Guelphicae oſtendit B. HEINECCIVS *Iur. Germ. p. 595. ſq.* Quae vero mulieres abſque matronalis pudoris periculo adgredi potuerunt pugnam ſolitariam, illis multo magis abſque periculo eidem imminente iudicium viſere licuit, tum in ſuis, tum in alienis cauſis, ſi cæteroquin procuratorum adhibendorum daretur licentia. Etſi autem ceſſent noſtro, quo nunc vtimur, iure duellica iudicia, cognoſcendo tamen Germanorum genio et inueſtigandae generali indoli haec inſeruiunt. Aliud excipit dubium inde ſubnaſcens, quod monumenta iuris Germanici antiqui deprehendantur feminas reprobantia procuratrices. Siquidem V. C. IO. FRID. POLAC *Syſtem. Iurispr. Civ. Germ. antiq. p. 241.* ex *legibus* WISIGOTHORVM *lib. II tit. 3.* mulieres a procurando excluſas fuiſſe docet. Sed hae ipſae leges

haec diſpoſitio, ſed ex peregrinis fluit inſtitutis. Haud aliud regeram iis, qui legum Longobardicarum auctoritatem obiecerint, quum illae pariter vitio commixtionis Germanicorum et Latinorum principiorum notentur. Eodem naeuo laborant Saxo et Alemannus ſpeculatores, qui, quanquam patria ſemper iactitent iura, Romanas ſaepenumero idiomate Teutonico reddiderunt leges. Verum etiam vterque Speculator in plerisque locis, ſin vbique, termino vernaculo *Fürſprecher* vtitur, a cuius officio abſtinere vult mulieres, neque ergo ad procuratores verba eius erunt extendenda. Vltimum idemque grauiſſimum dubium ex eo confici poteſt, quod officium procuratorum multa complectatur, quibus femina mandataria haud par eſt exequendis. Aſt in his aduocato vt inſtructa ſit, et eo conſilium ſubminiſtrante rem gerat, aut, ſi ne id quidem procedat, ſubſtituere poteſt aduocatum aliumue iura callentem procuratorem. Aequalis enim eſt cauſa procuratorum aliorum legitima ſcientia non imbutorum, vti et ſyndicorum illiteratorum: qui omnes actus notitiam iuris requirentes ſubſtitutis mandant procuratoribus aut actoribus, vel advocatorum auxilio eos peragunt. Neque intereſt aliquid diſcriminis, vtrum in propria an in vicaria lite tales actus feminis ſint expediendi, quum tanquam procuratrices eadem negotium tractare poſſint ratione ac in litigio proprio. Valet non minus ratiocinium ab eo, quod iurisdictione et arbitrio feminæ fungantur per mandatarios, qui legum peritia inſtructi, ad officii procuratorii adminiſtrationem per ſubſtitutum. Vti nimirum in iure dicendo feminæ quoque nonnunquam ſibi referri iubent ſtatum cauſarum ipſæque ad conſultationem peritorum decreta condunt, deciſa ſubſignant, eorumque publicationi adſunt: ita directionem totius

litis

litis, ſubſtituto licet procuratore erudito vel cauſidico, ſibimet reſeruare poterit procuratrix, ne ſcilicet ſubſtitutus eiusmodi ipſa inconſulta grauioris momenti cauſas peragat. Sæpe certe magis expedit mulieri alioue imperito demandare litem quam procuratori erudito, ſiue quod indocta procuratrix ipſius, de quo diſceptatur, negotii accuratiorem habeat ſcientiam, prout obtingit præcipue circa mercatorum iurgia, ſiue quod procuratoris docti notitia deſtituatur perſona litigans principalis. Varii demum ſunt generis negotia a procuratoribus perficienda, quorum nonnulla eius ſunt indolis, vt mediante ſubſtitutione expediri queant, alia contra plane nullam deſiderent iurium ſcientiam, vti ſolutio, acceptatio citationum, ſimilia. Hæc itaque poſteriora cuivis indocto, ergo et feminæ, mandari poſſunt, vti DNVS PRAESES mihi retulit caſum de litigatore operarium in frumentis terendis occupatum ad minora momenta iſta peragenda conſtituente. Ex eiusdem ore percepi, matronam nobilem quandam a filio procuratorium accepiſſe cum omnibus clauſulis et ſubſtituiſſe dein cauſidicum: quemadmodum quoque mercator Belga in emporio quodam Saxoniæ inferioris litigium per feminam emporii iſtius ciuem ſuſcepit. Quin iudicium vrbis in Variſcia ſitæ vxorem Iudæi Bohemici absque procuratorio vi mandati præſumti admiſit ad iurgium victoriam pro marito reportantem: vnde liquet, vſum eſſe procuratricum frequentem. Verum ſiſto hic gradum atque diſſertationi

NOBILISSIMO DOCTISSIMOQVE

# DOMINO CANDIDATO

S. P. A.

## PRAESES.

*Tandem depulſo pertinaci morbo, quo per aliquot menſes conflictatus es,* NOBILISSIME DOMINE CANDIDATE, *capeſſere* TIBI *licet ſummos in vtroque iure honores ab* INCLYTO ICTORVM ORDINE *iam pridem decretos. Quamquam enim ab ore meo non dependeris in haurienda iuris diſciplina, id tamen ingenue profitendum mihi eſt, quod* ILLVSTRI ORDINI *a me ad examina candidatorum præſentatus tentamen pariter atque examen rigoroſum cum laude ſuſtinueris et ad conflictum inauguralem accedendi poteſtas* TIBI *facta ſit. Elegiſti in hunc finem thema non inutile, ſed elegans et in foro non raro diſceptatum,* de femina procuratrice ad litem, *ſiquidem Germania frequentes videt feminas in iurgiis iudicialibus, quibus tamen litem alienam ſuſcipientibus ab iis, qui cæco impetu Romana ſequuntur, exceptio inhabilitatis, quam dicunt, ſeu potius procuratoria obiicitur. Verum ſicuti in vindicando feminarum iure diſſertatione Tua ſolidioribus argumentis omnem nauaſti operam, ita non dubito, quin idem in ipſa arena diſputatoria ſtrenue ſis tuiturus. Gratulor* TIBI *itaque exantlatos labores, gratulor præmia induſtriæ et eruditionis, ipſos imprimis* TIBI *me interprete conferendos Doctoris honores, eosque* TIBI *ad ampliora profuturos cupio, atque opto, vt Diuina prouidentia procurante feminæ* TIBI *gratiarum habendarum cauſa multorum exiſtant emolumentorum procuratrices. Vale. Dab. Hal. Magdeburgicæ die XIII. Febr. A. O. R.* CIϽ IϽCC LI.

CON-

# CONSVLTISSIMO DOMINO
# CANDIDATO
S. D.
# IOANNES PHILIPPVS CARRACH,
IVR. VTR. ET PHILOS. DOCTOR.

*Liberali cauſa feminas procuratrices adſeruiſti manu: dignus eſt, quem et ingenuitati eruditæ adſerat* ILLVSTRE ICTORVM COLLEGIVM. *Adpuliſti animum ad ambitum honorum doctoralium decentem, quem nemo bonus vitio* TIBI *vertet, ſed laudi potius ducet. Eum ſane* TE *præſtitiſti, qualem requirit academici cogitatio dibaphi, vbi ponderatis ingenii* TVI *viribus ſententiam obtinuiſti præſtantiſſimorum voto ICtorum victricem, et propoſitis* TVIS *deſideriis iure acclamarunt iidem feſtiuam vocem:* vti rogas. *Certationem, quam exigit præſens* TVA *conditio, adgreſſurus metu vacas, fortemque* TE *paras virilis iſtius, quo integri ſexus feminei defenſione fungeris, officii ſuſceptorem. Siniſtra adſunt auguria, ſed Romanorum ex mente antiſtitum. Procurationem ominor fauſtiſſimam, cuius in* TE *redundabit effectus. Huius ipſius autem cauſa gratulabundus* TE *adloquor, gaudia, quæ ex corona ciuili* TIBI *decreta capio, teſtor, perpetuam nulliſque interruptam viciſſitudinibus felicitatem precor rogoque. vt me* TIBI *habeas comm[illegible]iſſimum. Vale. Hallæ Salicæ, Idib.*

# VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
# DOMINO CANDIDATO
## AMICO AESTVMATISSIMO
S. P. D.
## GVILIELMVS SAMVEL AB HERFORD
SILESIVS
## OPPONENS.

*Anni ſpatium nondum prorſus eſt elapſum, ex quo acre ingenium* TVVM *ſingulari promptitudine quæſtiones difficiliores in exercitationibus philoſophicis et iis, quæ ad ſolidiorem Iuris ſcientiæ cognitionem faciunt, enodans mirari mihi contigit.* TIBI, CANDIDATE DOCTISSIME, *ſemper ex animo gratulabar, vtut ſpe deiectus, in quam me erexerat* TE *imitandi inſtitutum. In inuidiam nunquam incidi. Quamobrem deſiderio familiaritatem* TE*cum contrahendi confeſtim exarſi et meliore fortuna vota hæc adimpleui. Sed* TVAE *conuerſationis doctæ deliciis frui vix incepi, cum nutu ipſius Themidis ſtudii conſortium noſtrum quodammodo interrumpi et ad ſummas* TE *in vtroque Iure honores adſpirare animaduerterim. Quin et ab iniquo morbo* TIBI, *ne ſacratam lauream, mihi, ne* TE *ſubduceret ſimul erat metuendum. Satis diu ne oculo quidem* TE *frui dabatur. Aſt absque* TVI *erga me fauoris imminutione. Vix enim Numen, malum cedere iuſſit ac* TV *moram rumpere omnique officio ac pietati ſatisfacere ſtudebas. Inde Cathedram occupaturus commilitii et honoris* TVI *participem me fieri voluiſti, indicaſti. Me in Themidis alumnum heri demum euaſiſſe pro declinando munere honorifico fruſtra* TIBI *in mentem reuocaui et cum quam ardenter ſummum beneuolentiæ ſpecimen a me accipi, cupias, perſpexerim, opponens ſum futurus. Sed cur hæc enarro.* TV *nimirum certo ſemper de perfectionibus hinc et de meis imbecillitatibus iudicium tuliſti, non dedignatus es certamen mecum inire literarium. Sic ſi quantum amori et amico tribuas, exponam, omnium applauſus non impediet, ſi munere iniuncto haud ita defungar, vt feſtum ornari et augeri videatur. Porro facile intelligatur, cur non effuſos* TIBI *deberi honores adſirmem. Cauſas potiores ex iuſtis fontibus me deducturum fore diffido. Tenues indicare ceu minus glorioſas amoris leges prohibent. Interna aſſiduitatis* TVAE *teſtimonia loquantur laudes* TVAS. *Themis cingat tempora Diademate doctorali. Eruditio, ſapientia, uirtutes faſtigium adſequi* TE *iubeant fortunæ ſummum. Bene* TIBI *cupere ipſa pergat Prouidentia.* TV *mihi pergas. Dabam in Fridericiana d. 16. Febr. 1751.*

A 0114 71743